

13817. V. L. J.







# PROPRIMUM

DIOECES. AQUILEJEN.

à parte Imperii seu

PARS PRIMA

Continens

## FESTA PROPRIA

Hujus Diœcesis tum ea, quæ  
habent Orationem & Lektionen pro-  
prias, tum ea quæ habent  
omnia de Communi.

Quibus

IN SECUNDA PARTE

Annexa sunt Festa nova, quæ  
ab Anno 1700 usque modò indulta, &  
Rom. Breviario inserta sunt, Additis  
quoque Festis olim & noviter à  
Parte Imperij concessis

Ad usũ præfertim Cleri Aquil.  
tum etiam aliorum, qui ad Horas Cano-  
nicas tenentur, ut hoc Proprio, & Sup-  
plemento provisi uniformiter Divi-  
num Officiũ persolvere queant,  
& ne de novis Breviarijs sibi  
providere cogantur.

*Cum Licentia Superiorum.*

---

Labaci, Typis Adami Frid. Reichhardt,  
Incl. Prov. Carn. Typ. 1738.

# JACOBI MARCHANTIJ

Pia admonitio ad fructuosam

Breviarij recitationem. *In Virg. Aaron.*

*Tr. 3. Lect. 15.*

Hæc sunt Septennis, propter  
quæ psallimus horis.

Matutina ligat Christum, qui  
crimina purgat.

Prima replet Sputis, dat causam  
Tertia mortis.

Sexta Cruci neçtit, latus ejus  
Nona bipertit.

Vespera deponit, tumulto Com-  
pleta reponit.

*Recomendat præterea has pias oratiunculas  
Ad Matutinum.*

**D**omine JESU in unione illius oratio-  
nis, quam in horto angustiatus Patri  
obtulisti! & tormentorum omnium, quæ  
passionis tuæ nocte pertulisti, offero tibi  
hoc matutinæ laudis obsequium, ut illud  
acceptare digneris in compensam tot bla-  
sphemiarum.

*Ad Primam.*

**D**omine JESU in memoriam sputorum  
alaparum, convitiorum, illusionū,  
quas initio diei pro nobis pertulisti, & Pa-  
tri

tri

eri obtulisti, hoc oris, & cordis nostri obsequium suscipere ne dedigneris, ut Patri æterno gratum sit in unione tui amoris.

*Ad Tertiam.*

**D**omine JESU in memoriam acerbissimæ flagelationis, & ignominiosissimæ coronæ tuæ te modo orare, te adorare cupio, & hoc sit obsequium servitutis meæ, quo te Regem æternum profiteor & agnosco.

*Ad Sextam.*

**D**omine JESU in memoriam Crucis acerbæ quam bajulasti, in qua creatus es, & te Patri hostiam obtulisti, hoc laudis sacrificium à nobis digneris suscipere, & Patri offerre, ut sit acceptum in oblationis tuæ unione.

*Ad Nonam.*

**D**omine JESU in memoriam cordis tui tribus horis in cruce angustiati, & post expirationem lancea aperti, offero tibi hoc precis, & amoris obsequium, ut cor nostrum jungere digneris tuo cordi amore inseparabili.

*Ad Vesperas.*

**D**omine JESU in memoriam capitis tui languidi, & corporis tui plagis undique affecti è cruce in sinu Matris depositi, hoc officium orationis suscipe, & tibi acceptum sit in unione dolorum benedictæ Matris tuæ.

*Ad Completorium.*

**D**omine JESU in memoriam unctiois & sacre sepulturæ tuæ accipe hoc ex-

tremum officium servitutis, & devotionis nostræ diurnæ, & ut tibi gratum sit conjunge cum lacrymis, quas tibi obtulerunt piæ animæ.

Conclusio Orationis.

*Pro Supplemento negligentie in horarum recitatione hæc esse poterit post expletum Officium. Idem loco cit.*

**O** Bone JESU propitius esto mihi peccatori: Ego tepidum & distractum Officium meum comendo mellifluo cordi tuo emendandum & perficiendum. Tibique offero ad salutem omnium in unione illius perfectissimæ attentionis, quâ Patrē orasti & laudasti in terris, responde quæso satisfac, & supple pro me plenissimè.

*De Oratione Breviarij.*

Horas ante tempus orare, est securitas, in hora est justitia, post horam est negligentia. S. Gregor.

Considerationes piæ Sacerdotis, dum se induit ad celebrandum.

*Tu quicumque velis missam cantare Sacerdos.  
Funditus esto memor, tot & quoq; mente revolve  
Qualia sit Christus pro te certamina passus.  
Velato capite tibi risum signat amictus.  
Linea veste nota, quod sit delusus in alba.  
Vincla repræsentat sua cingula stola maniplus.  
In casula noscas, quod purpura ludificatur.  
Calvarie memorare locū dum pergis ad arā.  
Et recolas Christū, dū pergeret ad moriendū.  
Hæc sic cuncta piè memorando pectora tunde.*

OFFI-

## OFFICIA

Festorum Diœcesis Aquilejensis à parte Imperij priorum.

Littera A. indicat eos Sanctos esse Aquilej.

R. cum sunt reliquiæ.

C. cum est Consuetudo.

P. cum sunt Patroni.

I. esse Festum indultum à parte Imperij.

*Sumitur initium à Decembri ad normam Bre-  
viarij Romani.*

## FESTA DECEMBRIS.

A. 2. S. Cromatij Patriarchæ Aquilejensis  
Confessor. *Duplex.*

*Omnia de com. Conf. Pont.*

*Oratio. Exaudi.*

*Lect. 1. noct. de Script. occur.*

*In 2. & 3. noct. de eodem com. 2. loco.*

C. 4. S. Barbaræ V. M. *Semidupl.*

*Transfertur semper.*

*Omnia de com. VV. MM.*

*Oratio. Deus, qui inter cætera.*

*Lect. 1. noct. de Script. occur.*

*In 2. noct. habentur quidem propriæ, sed non  
sunt pro quavis Diœc. indultæ, visum  
tamen fuit eas huc apponere, ut dici possint  
in locis, ubi sunt concessæ.*

*In 2. Noct. Lect. iv.*

**B**arbara Virgo Nicomediensis, Dioscori  
nobilis, sed superstitiosi hominis filia,



per ea, quæ visibilia facta sunt, ad invisibilia, Divina opitulante gratia, facilè pervenit. Quapropter soli Deo, rebûsque Divinis vacare cœpit. Eam pater, utpote forma venustiori nitentem, à quocumque Virorum occurſu tutari cupiens, turri incluſit; ubi pia Virgo meditationibus, & precibus addiſta, ſoli Deo, quem ſibi in Sponſum elegerat, placere ſtudebat. Oblata à Patre pluries nobilium connubia, fortiter ſprevit: Pater verò per ſui abſentiam, filiæ animum poſſe faciliùs emolliri confidens, juſſit primò balneum extrui, ne quid ei deeſſet ad commoditatem, deinde peregrè in exteras regiones profeſtus eſt.

℞. Propter veritatem, & manſuetudinem, & juſtitiam: \* Et deducet te mirabiliter dextera tua.

Ÿ. Specie tua, & pulchritudine tua, intende, proſpere procede, & regna. Et.

*Lectio v.*

**A**Bſente Patre, juſſit Barbara duabus fenestris, quæ in turri erant, tertiam addi in honorem Divinæ Trinitatis, labiùmque balnei Sacroſanctæ Crucis ſigno muniri: quod ubi rediens Dioſcorus inſpexit, audita novitatis cauſa, adèd in filiam excanduit, ut ſtriſto enſe eam appetens, parùm abſuerit, quin eam dirè confoderet; ſed præſtò adfuit Deus: nam fugienti Barbaræ faxum ingens ſe patefaciens viam aperuit

peruit, per quam montis fastigium petere, & in specu latere potuit; sed paulò post, cum à nequissimo genitore reperta fuisset, ejus latera pedibus, dorsúmque pugnibus immaniter percussit, & crinibus per loca aspera, difficilésque vias raptatam, Marciano Præsidi puniendam tradidit.

*R.* Dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem: \* Propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ.

*Y.* Propter veritatem, & mansuetudinem, & justitiam. Propterea unxit.

*Lectio vi.*

**I**Taque ab ipso omnibus modis, sed incassum tentata, nudam nervis cædi, & inflicta vulnera testulis confricari, deinde in carcerem trahi præcepit; ubi imensa luce circumdatus ei Christus apparens, mirificè confortatam in Passionum tolerantia confirmavit. Quod animadvertens Juliana Matrona ad fidem conversa, ejusdem palmæ particeps effecta est. Barbaræ demùm ferreis unguibus membra laniantur, facibus latera incenduntur, & malleolis caput contunditur, quibus in cruciatibus confortem solabatur, & hortabatur, ut ad finem usque constanter certaret; præcis tandem utrique uberibus nudæ per loca publica tractæ capite plectuntur, filiæque cervicem ipse scelestissimus Pater humanitatis expers proprijs manibus amputavit; cujus

fera crudelitas non diù inulta remansit ;  
nam statim eo ipso in loco fulmine percus-  
sus interiit. Caput hujus Beatissimæ Mar-  
tyris in Oratorio ad Sancta Sanctorum ho-  
noricè asservatur.

*R.* Afferentur Regi Virgines post eam,  
proximæ ejus : \* Afferentur tibi in lætitia  
& exultatione.

*Ps.* Specie tua, & pulchritudine tua, in-  
tende, prosperè procede, & regna. Affe-  
rentur. Gloria Patri. Afferentur.

*In 3. Noct. Homil. in Evang. Simile erit  
&c. decem Virginib. Ut in com. VV.*

---

*C. S. Syri Episc. Conf. Semidupl.*

*Omnia de com. Conf. Pont.*

*Oratio. Exaudi.*

*Lect. 1. noct. de Script. occur.*

*In 2. & 3. noct. de eodem com. 2. loco.*

---

*I. 18. Expectationis B. M. V. Duplex. maj.*

*Ab anno 1709. in tota Diœc. olim solùm in  
Dom. Veneto.*

*Offic. ut in festis novis. pag. 9.*

---

*R. 25. S. Anastasiæ Viduæ Mart. Duplex.*

*Transfertur sember.*

*Omnia de com. non Virginum.*

*Oratio ex 2. missa Nativit. Domini.*

Da quæsumus omnipotens Deus, ut qui  
B. Anastasiæ Martyris tuæ solemnia colimus,  
ejus apud te patrocinia sentiamus.

*Per Dominum.*

*Lect.*

*Lect. 1. noct. de Script. occur.**Si contingat transferri in Quadragesimam de eodem com. Virg. Confitebor.**In 2. noct. de Sermonē. Ego maximè.**In 3. noct. Evang. Simile est &c. thesauro.**C. 27. S. Zoili Conf. non Pont. Semidupl. Transfertur semper.**Omnia de com. Conf. non Pont.**In hymn. vesp. & matut. Meruit supremos.**Oratio. Deus, qui nos.**Lect. 1. noct. de Script. occur.**Si contingat transferri in Quadrag. Beatus vir. de eodem com. 2. loc.**In 2. & 3. noct. de com 1. loco.**P. 30. S. Nicephori Mart. Eccles. Petenensis Patroni. Duplex.**Omnia de commun. unius Mart.**Oratio. Præsta quæf. omnip. Deus, ut qui.**Vesp. de Nativ. Dom. à cap. de Sancto. com.**Dom. infr. oct. Nativ. Dom. S. Thom.**& octavar. Lect. 1. noct. de epist. ad Rom.**ut in Brev. Dom. infr. oct. Nat. Dom.**Si incidat hoc festum in fer. 2. Lect. 1. noct.**Fratres debet. sumus. de com. plur. MM.**In 2. noct. Triumphal. de com. un. M. 1. loco.**In 3. noct. Evang. Si quis vult. de eodem com. 2. loco.**Nona Lect. homil. in Evang. Dom. infra oct.**Nativ. & com. ejusd. ac octavar.**Si incidat hoc fest. in diem Sab. vel fer. 2. non**fit com. hujus Dom.*

FE-

FESTA JANUARIJ.

A. 11. S. Paulini Patriarch. Aquil. Conf.  
*Duplex.*

*Transfertur semper.*

*Omnia de com. Conf. Pont.*

*In hymn. vesp. & matut. Meruit supremos.*

*Oratio. Da quæsumus.*

*Lect. 1. noct. de Script. occur.*

*Si transfer. in Quadrage. Fidelis sermo.*

*In 2. & 3. noct. de eodem com. 1. loco.*

P. 16. S. Titiani Episc. Conf. Eccles. Ce-  
netens. Patroni. *Duplex.*

*Omnia de com. Conf. Pont.*

*Oratio. Da quæsumus.*

*Lect. 1. noct. de Script. occur.*

*In 2. & 3. noct. de eodem com. 1. loco.*

P. 22. S. Vincentij Eccl. Vicentinae Patro-  
ni, & Anastasij MM. *Duplex.*

*Omnia ut in Brev. sed ritu duplici.*

I. 23. Desponsat. B. M. V. cum S. Joseph  
*Duplex majus.*

*Vide inter festa nova pag. 37.*

C. 29. S. Juliani de bono Albergo Conf.  
non Pont. *Semiduplex.*

*Transfertur semper.*

*Omnia de com. Conf. non Pont.*

*In hymn. vesp. & matut. Meruit supremos.*

*Oratio. Da quæsumus.*

*Lect. 1. noct. de Script. occur.*

*In*

In Quadrag. Beatus vir. de com. 2. loco.

In 2. & 3. noct. de com. 2. loco.

---

C. 31. Translatio S. Marci Evang. Dupl.

Omnia de com. Evangelist. præter oration.

Oratio.

**D**Eus qui gloriosa B. Marci Evangelistæ membra tuis famulis revelare dignatus es: concede propitius, ut qui ejus corporis translationem hodie venerandam colimus, ipsius beatitudini te concedente adungi mereamur. Per Dominum.

Lect. 1. 2. & 3. noct. de com. Evangelistar.

---

FESTA FEBRUARII.

C. 3. S. Blasij Episc. Mart. Semidupl.

Omnia de com. un. Mart.

Oratio. Ut in Brev. Deus,, qui nos.

Lect. 1. noct. de Script. occur.

Si contingat transferri in Quadrag. Lect. 1. noct. A Mileto.

In 2. noct. Lect. 4. propr. ut in Brev. 5. & 6. de serm. Triumphal.

In 3. Evang. Si quis vult.

---

C. 8. S. Juventij Episc. Conf. Duplex.

Transfertur semper.

Omnia de com. Conf. Pont.

Oratio. Da quæsumus.

Lect. 1. noct. de Script. occur.

In Quadrag. Fidelis sermo.

In 2. & 3. noct. de commun. 1. loco.

8. *Festa Febrar. & Mart.*

R. 16. Ss. Chryfantiani, & Soc. MM. *Dupl.*

*Omnia de com. plur. MM.*

*Oratio.* Deus, qui nos concedis.

*Lect. 1. noct. de Script. occur.*

*In Quadrag. Fratres debitores sumus.*

*In 2. & 3. noct. de com. 2. loco.*

---

C. Eâdem S. Julianæ V. M. *Semidupl.*

*Transfertur semper.*

*Omnia de com. Virg. Mart.*

*Oratio.* Deus, qui inter cætera.

*Lect. 1. noct. de Script. occur.*

*In Quadrag. De Virginib. Præcept. Dom.*

*In 2. & 3. noct. de com. 1. loco.*

---

## FESTA MARTII.

R. 3. Ss. Agapæ, & Soc. VV. MM. *Duplex.*

*Omnia de com. Virg. Mart.*

*Oratio.* Da nobis. *de plur. VV. MM.*

*Lect. in Quadrag. in 1. 2. & 3. noct. de com.*

*1. loco.*

*Extra Quadrag. in 1. noct. de Script. occur.*

---

R. 16. Ss. Hilarij Episc. & Tatiani Diac.

*Mart. Duplex.*

*Omnia de com. plur. Mart.*

*Oratio.* Beatorum Martyrum.

*Lect. in 1. 2. & 3. noct. de com. 1. loco.*

*Si contigat transferri ad Temp. Paschale.*

*Lect. 1. noct. de Script. occur.*

*In 2. & 3. noct. de com. 2. loco.*

---

I. 24. S. Gabrielis Archang. *Dupl. Majus.*

V. inter Festa nova pag. 71.

I. Fer.

*Festa Martij, & April.*

*I. Fer. 6. post Dom. Passionis.*

*De Septem Doloribus B. M. V.*

*V. inter Festa nova pag. 85.*

---

**FESTA APRILIS.**

*Fer. VI. post Dom. in Albis.*

*I. De Clavis & Lancea Dom. Dupl. 2. cl.*

*V. inter Festa nova pag. 98.*

---

*P. 2. S. Abundij Episc. Conf. Eccl. Cenc-*  
*tenf. Patroni. Dupl.*

*Transfertur semper.*

*Omnia de com. Conf. Pont.*

*Oratio. Exaudi.*

*Lect. 1. noct. in Quadrag. Fidelis sermo.*

*Extra Quadrag. de Script. occur.*

*In 2. & 3. noct. de com. 2. loco.*

---

*P. 12. S. Zenonis Episc. & M. Eccl. Vero-*  
*nenfis Patroni. Duplex.*

*Omnia de com. un. Mart. pro varietat. temp.*

*Oratio. Deus, qui nos.*

*In Quadrag. in 1. 2. & 3. noct. de com. 1. loc.*

*Extra Quadrag. in 1. noct. de Script. occur.*

*In 2. & 3. noct. de com. Mart. temp. pasch.*  
*1. loco.*

---

*P. 17. S. Liberalis Conf. Eccl. Tarvisinae*  
*Patroni. Dupl.*

*Omnia de com. Conf. non Pont.*

*Oratio. Deus, qui nos.*

*Lect. 1. noct. de Script. occur.*

*In 2. & 3. noct. de com. 1. loco.*



C. 24. Inventio Corporum Ss. Cancij, & Soc. MM. *Dupl.*

*Omnia de com. MM. temp. pasch. prat. orat.*  
*Oratio.*

**O**Mnipotens sempiterne Deus, qui hodierna die membra Ss. Martyrum tuorum Cancij, Canciani, Cancianillæ, Chryfogoni, Anastasiæ & Prothi, nobis famulis tuis revelare dignatus es, concede propitius, ut qui eorum corporum inventionem venerando colimus, ipsorum beatitudini, te concedente adjungi mereamur. Per Dominum.

*Lect. 1. noct. de Script. occur.*

*In 2. & 3. noct. de eodem com. 2. loco.*

*Si alicubi transfer. extra temp. pasch.*

*Lect. 2. noct. de com. 1. loc. in 3. noct. 2. loc.*

### FESTA MAII.

R. 2. S. Sigismundi Regis Burg. M. *Dupl.*  
*Transfertur semper.*

*Omnia de com. un. Mart. pro variet. temp.*

*Oratio.* Præsta quæf. omnip. Deus, ut qui.

*Lect. 1. noct. de Script. occur.*

*Si transfer. in fer. 2. vel 4. Rogat. lect. 1. noct. Fratres debit. sumus.*

*In 2. & 3. noct. temp. pasch. de com. 1. loco.*

*Extra temp. pasch. etiam de com. 1. loc.*

P. 14. Victoris, & Coronæ MM. Eccl. Fel-trenf. Patr. *Dupl.*

*Omnia de com. MM. pro variet. temp.*

*Oratio*

*Oratio.* Deus, qui nos concedis.

*Lect.* 1. noct. de Script. occur.

*Si incidat in fer. 2. vel 4. Rogat. lect.* 1. noct. Fratres debet. fumus.

*In 2. & 3. noct. temp. pasch. de com. MM. 2. loc.*

*Extra temp. pasch. etiam de com. 2. loc.*

---

*R.* 16. S. Maximæ Virg. *Dupl.*

*Omnia de com. Virginum.*

*Oratio.* Exaudi.

*In 1. noct. Lect. de Script. occur.*

*Si incidat in fer. 2. vel 4. Rogat. lect. de com. de Virginib. præcep. Dom.*

*In 2. noct. de serm. Nunc nobis. de com. 2. loc.*

*In 3. noct. Evang. Simile est &c. dec. Virgin.*

---

*I.* Eâdem S. Joan. Nepom. M. *Semidupl.*

*In hac Diœcesi transfer. semper.*

*V.* Orat. & *Lect.* inter Festa nova pag. 121.

---

*P.* 29. S. Maximi Episc. M. Eccles. Æmou-  
nienf. Patr. *Dupl.*

*Omnia de com. MM. pro variet. temp.*

*Oratio.* Deus, qui nos.

*Lect.* 1. noct. de Script. occur.

*In 2. & 3. noct. temp. pasch. de com. 1. loco.*

*Extra temp. pasch. in 2. noct. de serm. Tri-  
umphal. de com. 1. loc. in 3. noct. Evang.*

*Si quis vult. de eodem com. 2. loc.*

*Si incidat in fer. 2. vel 4. Rogat. lect.* 1. noct.

*A mileto. de com. un. M. extra temp. pasch.*

---

*R.* 31. Ss. Cancij, & Soc. MM. *Duplex.*

*Omn. de com. MM. pro variet. temp. præ-*

*Præter orationem, & Lect. 2. noct.*

*Prout omnium primò, anno 1709. assignantur  
in Directorio Aquilejensi.*

*Oratio.*

**P**Ræsta, quæsumus omnipotens Deus, ut populus tuus ad plenæ devotionis affectum BB. MM. Canciani, & sociorum ejus natalitijs præparerur, & eorum patrocinio promerente beatæ capiat securitatis augmentum. Per Dominum.

*In 1. noct. intra & extra temp. pasch. Fratres debet. sumus.*

*In 2. noct. Lect. iv.*

**C**Ancianus præclara Aniciorum progenie, Christiana fide longè præclarior evasit. A pueritia sub Prothi viri sanctissimi disciplina instructus neglecto avitarum dignitatum fastu elegit magis affligi cum populo DEI, quàm temporalis peccati habere jucunditatem: Quapropter virtute non minus, quàm ætate proficiens Diocletiano, & Maximiano Imperatoribus in Christianos nefariè sævientibus, fidem quam corde, & ore profitebatur, ut operibus etiam comprobaret, opulentissimo divendito patrimonio pecuniam omnem in Christianos inopiâ laborantes distribuit, plurimòsque servos, quos domi aiebat, sacro ablutos baptismate, libertate donavit. Ut verò cæteris etiam fidelibus in varijs Italiae provincijs sub immanitate persecu-  
tionis

tionis gementibus esset subsidio, assumptis peregrinationis socijs Cancio fratre, Cancianilla ac Protho paris propositi, ac fidei consortibus regiones varias perlustravit.

*R. Temp. pasch. Lux perpetua.*

*Extra temp. pasch. Sancti tui.*

*Lectio v.*

**C**UM autem Aquilejam adventasset, & quanta pridem passus fuerit Christi Athleta Chryzogonus accepisset, ardentiori charitatis flamma succensus cœpit clam hortari omnes, ut in proposito fidei permanerent, ac noctu visitans eos, qui vincti in custodijs tenebantur, ad asperrima quæque pro Christo perferenda ignitis sermonibus animabat. Et cùm mox adversus omnia pericula imperterritus palam cœpisset aũnunciare Jesu Christi fidem, magna facta est virorum, ac mulierum accessio ad illam profitendam, dante Deo, ut signis atque prodigijs verbum Domini confirmaretur, nam Cancianus leprosos & à Dæmonibus vexatos curabat, cæcis visum, ægris sanitatem impertiebatur.

*R. Temp. pasch. In servis suis.*

*Extra temp. pasch. Verbera Carnificum.*

*Lectio vi.*

**Q**UIBUS auditis Dulcidius Præses, ejusque Collega Sifinius Cancianum, ejusque socios Christo renunciare frustra jubent: tormenta tamen in ipsos propter  
exi-

eximiam generis nobilitatem non nisi Imperatorum mandato exhibere sunt ausi. Missis igitur, qui referrent, quod evenerat, ad hujusmodi nuncium excandescens confestim rescribunt gloriosos Christi Confessores, nî Dijs sacrificent, capite plectendos. Quare Sifinius collectâ Spiculatorum manu ipsos super rheda abeuntes insequitur, comprehenditque eodem in loco ad aquas Gradatas, ubi Chryfogonus martyrij cursum feliciter consummaverat. Tunc gloriosi Athletæ elevatis ad cælum manibus, & psallentes, & gratias agentes Deo, seseque invicem confortantes flexis genibus deprecabantur: Domine Jesu Christe Deus omnipotens dirige S. Angelum tuum ad auxilium nostrum, ut confundantur omnes, qui adorant sculptilia, ac deinde impavidi pridie kalendas Junij sacras cervices ferro præcidendas constantissimè obtulerunt, quorum corpora Zeno Presbyter aromatibus condita prope ejusdem S. Chryfogoni Sepulchrum tumulavit.

*R. Temp. pasch. Filia Jerusalem.*

*Extra temp. pasch. Tanquam aurum.*

*In 3. noct. temp. pasch. Evang. Ego sum vitis, vos palmites. de com. 2. loc.*

*Extra temp. pasch. Evang. Descend. Jesus.*

*R. 8. Hæc est vera Fraternitas.*

## FESTA JUNII.

R. 4. S. Quirini Episc. Mart. *Duplex.**Omnia de com. un. Mart. pro variet. temp.**Oratio. Deus, qui nos.**Lect. 1. noct. de Script. occur.**In 2. noct. extra temp. pasch. de serm. Triumphalis. In 3. noct. Evang. Si quis vult.**Temp. pasch. in 2. & 3. noct. de com. 1. loc.*

R. 9. Ss. Primi, &amp; Feliciani fratrum MM.

*Duplex.**Omnia de com. plur. MM. præter seq.**Oratio. Fac nos. ut in Brev.**Lect. 1. noct. de Script. occur.**In 2. noct. lect. 4. & 5. prop.**Lectio 6. de serm. Quotiescunque.**In 3. noct. Evang. Confitebor. ut 4. Octob. quod est in parte autumnali. Sed cum plerique orent nunc officium ex Brev. quadripartito, & molestum subinde sit sumere & quærere aliam partem, quæ aliquando etiam ad manus non est, pro majori commoditate apponuntur hic electiones, quod ipsum imposterum in consimili eventu observabitur.*

Lectio S. Evang. secundum Matth.

Lectio vii. Cap. II.

**I**N illo tempore respondens JESUS dixit :  
Confiteor tibi Pater, Domine cæli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus, & revelasti ea parvulis. Et reliqua.

Homi-

Homilia S. Augustini Episcopi.

*Serm. 10. de Verbis Domini.*

**V**enite ad me omnes, qui laboratis. Quare enim omnes laboramus, nisi quia sumus mortales, fragiles, infirmi, lutea vasa portantes, quæ faciunt invicem angustias? sed si angustiantur vasa carnis, dilatentur spatia charitatis. Quid ergo dicit, Venite ad me omnes, qui laboratis, nisi ut non laboretis? Denique promissio ejus in promptu est, quoniam laborantes vocavit. Quærent fortè, qua mercede vocati sunt. Et ego vos inquit, reficiam. Tollite jugum meum super vos, & discite à me, non mundum fabricare, non cuncta visibilia & invisibilia creare, non in ipso mundo mirabilia facere, & mortuos suscitare; sed, Quoniam mitis sum, & humilis corde.

*R.* Propter testamentum Dñi, & leges paternas Sancti Dei perstiterunt in amore fraternitatis. \* Quia unus fuit semper spiritus in eis, & una fides. *W.* Ecce quam bonum, & quam jucundum habitare fratres in unum. Quia unus.

*Lectio viii.*

**M**agnus esse vis? à minimo incipe. Cogitas magnam fabricam construere celsitudinis? de fundamento prius cogita humilitatis. Et quantam quisque vult & disponit superimponere molem ædificij, quantò erit majus ædificium, tantò altiùs fodit

fundamentum. Et fabrica quidē cūm con-  
struitur, in superna confurgit: qui autem  
fodit fundamentum, ad ima deprimitur.  
Ergo & fabrica ante celsitudinem humilia-  
tur, & fastigium post humiliationem eri-  
gitur.

R. Hæc est vera fraternitas, quæ nun-  
quam potuit violari certamine, qui effuso  
sanguine secuti sunt Dominum: \* Con-  
temnentes aulam regiam pervenerunt ad  
regna cœlestia. V. Ecce quam bonum, &  
quam jucundum habitare fratres in unum  
contemnentes. Glor. Pat. Contemnentes.

*Lectio ix.*

Q Uod est fastigium construendæ fabri-  
cæ, quam molimur? quo perventu-  
rum est cacumen ædificij? Citò dico, usque  
ad conspectum Dei. Videtis, quàm excel-  
sum est, quanta res est conspicerè Deum.  
Qui desiderat, & quod dico, & quod audit,  
intelligit. Promittitur nobis conspectus  
Dei, veri Dei, summi Dei. Hoc enim bo-  
num est, videntem videre. Nam qui colunt  
falsos Deos, facilè illos vident: sed eos vi-  
dent, qui oculos habent, & non vident.  
Nobis autem promittitur visio Dei viven-  
tis & videntis. Te Deum.

---

R. II. Ss. Felicis, & Fortunati MM. *Dupl.*  
*Transfertur semper.*

*Omnia de com. plur. MM.*



*Oratio.* Deus, qui nos concedis.

*Lect.* 1. noct. de Script. occur.

*In 2. noct. de serm. Quotiescunque.*

*In 3. noct. Evang. Descendens.*

8. R. Hæc est vera fraternitas.

---

R. 14. S. Prothi Mart. *Dupl.*

*Transfertur semper.*

*Omnia de com. un. Mart.*

*Oratio.* Præsta quæsi. omnip. Deus, ut qui.

*Lect.* 1. noct. curr. ferie.

*In 2. & 3. noct. de com. 2. loco.*

---

C. 15. Ss. Viti & Soc. MM. *Semidupl.*

*Omnia de com plur. MM. præter sequent.*

*Oratio.* Da nobis. ut in *Breviar.*

*Lect.* 1. noct. de Script. occur.

*In 2. noct. Lect. 4. & 5. prop.*

*Lect. 6. de serm. Nemo est. ut in com. 2. loco.*

*In III. Nocturno.*

Lectio S. Evangelij secundum Lucam.

*Lectio vii. Cap. 10.*

**I**N illo tempore: Dixit JESUS discipulis suis: qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit. Et reliqua.

Homilia Venerabilis Bedæ Presbyteri.

*Libr. 3. in Luc. 10. cap. 42. paulò ante finem.*

**U**T in audiendo quisque vel spernendo Evangelij prædicatore non viles quasque personas, sed Dominum Salvatorem, imò ipsum Patrem spernere se, vel audire disceret, ait: Qui vos audit, me audit, & qui

qui vos spernit, me spernit, qui autem me spernit, spernit eum, qui me misit. Quia procul dubio in discipulo Magister auditur, & in filio Pater honoratur. Potest & ita intelligi, qui non facit misericordiam uni de fratribus meis minimis, nec mihi facit, quia & ipse pro his formam servi, & pauperis habitum suscepi.

*R.* Propter testamentum ut supr. pag. 16.

*Lectio viii.*

**R**everfi sunt autem septuaginta duo cum gaudio dicentes: Domine etiam Dæmonia subijciuntur nobis in nomine tuo: Benè quidem confessi sunt deferentes honorem nomini Christi; sed quia infirma adhuc fide gaudebant in virtutibus, vide quid audiunt. Et ait illis: Videbam Sathanam sicut fulgur de cælo cadentem. Non modò video, sed prius videbam, quando corruit. Quod autem ait, sicut fulgur, vel præcipitem de supernis ad ima lapsum significat, vel quia dejectus adhuc transfiguratur se in Angelum lucis.

*R.* Sancti mei, qui in carne positi certamen habuistis: \* Mercedem laboris ego reddam vobis. *Y.* Venite benedicti Patris mei percipite regnum. Mercedem. Gloria Patri. Mercedem.

*Lectio ix.*

**E**cce dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes & scorpiones. Hoc est

omne genus imundorum spirituum de obsessis corporibus eijciendi. Quamvis & ad litteram rectissimè possit accipi: siquidem & Paulus à vipera invasus nihil adversi patitur. Hoc fanè inter serpentes, qui dente, & inter scorpiones, qui caudâ nocent, distare arbitror: quod serpentes apertè sævientes scorpiones clanculò infidiantes, vel homines, vel dæmones significant. Serpentes, qui inchoandis virtutibus venena pravæ persuasionis obijciunt: Scorpiones, qui consumatas virtutes ad finem vitare contendunt: Veruntamen in hoc nolite gaudere: quia spiritus eijcere, sicut & virtutes alias facere interdum non est ejus meriti, qui operatur, sed invocatio nominis Christi hoc facit. Te Deum.

*Nota: Hæ lectiones desumptæ sunt ex Octavar. Rom. edi. Ven. de an. 1719 pag. 159.*

*Et taliter concordat Evangel. officij cum Evangelio missæ.*

---

R. 17. Ss. Ciricæ, & Muscæ VV. MM. *Dupl.*  
*Omnia de com. VV. MM.*

*Oratio. Da nobis. de plur. Virgin.*

*Lect. 1. noct. de Script. occur.*

*In 2. & 3. noct. de com. 1. loco.*

---

P. 19. S. Nazarij Episc. Conf. Eccl. Justianopolitanæ Patroni. *Dupl.*

*Omnia de com. Conf. Pont.*

*Oratio. Da quæsumus.*

*Lect.*

*Lect. 1. noct. de Script. occur.*

*In 2. & 3. noct. de com. 1. loco.*

C. Eâdem Ss. Gervasij, & Protasij fratrum  
MM. Semidupl.

*Transfertur semper, & plerumque in partem autumnalem.*

*Omni. de com. plur. MM. præter sequent.*

*Oratio. Deus, qui nos annua. ut in com.*

*Lect. 1. noct. de Script. occur.*

*In 2. noct. 4. & 5. prop. quæ ex causa supra in festo Ss. Primi, & Felic. memorata hic apponuntur. Lectio iv.*

**G**ervasius, & Protasius, Vitalis & Valerix filij, quorum pater Ravennæ, mater Mediolani pro Christi Domini fide martirium subjerunt, distributo pauperibus matrimonio, domesticos servos libertate donarunt. Quo facto Gentilium Sacerdotes immane in illos conceptum odium habebant. Quare cum Astasius comes in bellum proficisci vellet, hanc occasionem perdendi pios fratres se nactos esse putaverunt. *R. Sancti tui. pag. 19.*

*Lectio v.*

**I**Taque Astasio persuadent se à dijs admonitos esse, nullo modo eum in bello victorem futurum, nisi Gervasio & Protasio coactis Christum negare, eosdem ad sacra Dijs facienda compelleret. Quod cum illi detestarentur, Astasius imperavit, Gervasium

vasium tamdiu cædi, dum inter verbera  
 expiraret. Protasium fustibus contusum  
 securi percuti jubet. Quorum corpora Phi-  
 lippus Christi Servus clam fustulit, & in  
 suis ædibus sepelivit: quæ postea Sanctus  
 Ambrosius, Dei monitu inventa, in loco sa-  
 cro & insigni collocanda curavit. Passi sunt  
 Mediolani decimo tertio Kalendas Julij.

*R.* Verbera Carnificum.

*Lectio vi.*

*De sermone. Quotiescunque.*

*R.* Tanquam aurum.

*In 3. noct. Evangel. Descendens.*

*8. R.* Hæc est vera fraternitas.

---

*I. 21. S. Aloysij Conf. Duplex.*

*Vide inter festa nova supra pag. 240.*

---

*A. 22. S. Niceæ Patriarchæ Aquil. Conf.*

*Duplex.*

*Omnia de com. Conf. Pont.*

*Oratio. Exaudi.*

*In 1. noct. Lect. de Script. occur.*

*In 2. & 3. noct. de com. 1. loc.*

---

*C. Eâdem Ss. Achatij & Soc. MM. Semid.*

*Transfertur semper.*

*Omnia de com. plur. MM.*

*Oratio. Deus, qui nos concedis.*

*Lect. 1. noct. de Script. occur.*

*In 2. & 3. noct. de com. 2. loco.*

P. 26. S. Vigilijs Episc. M. Eccles. Trident.

Patroni. *Duplex. Transfertur semper.*

*Omnia de com. unius M.*

*Oratio. Deus, qui nos.*

*Lect. 1. noct. de Script. occur.*

*In 2. noct. de serm. Triumphalis.*

*In 3. noct. Evangel. Si quis vult.*

## FESTA JULII.

C. 2. Ss. Processi, & Martiniani MM. *Semid. Transfert. quidem aliquando, sed non semper, & tunc sæpè in partem autumnal.*

*Omnia de com. plur. MM. præter sequent.*

*Oratio. ut in Brev. 2. Jul. sed ut, quando ad partem autumnalem transfertur, ad manus sit, in quantum habet proprij, hoc loco ponitur.*

*Oratio.*

**D**Eus, qui nos Ss. Martyrum tuorum Processi, & Martiniani gloriosis confessionibus circumdas & protegis: Da nobis & eorum imitatione proficere, & intercessione gaudere. Per Dominum.

*Lect. 1. noct. de Script. occur.*

*In 2. Noct. Lectio iv.*

**Q**UO tempore Petrus & Paulus tenebantur sub custodia Mamertini in monte Tarpejo, duo custodes, Processus & Martinianus, cum alijs quadraginta, Apostolorum prædicatione miraculisque commoti, se ad Jesu Christi fidem converterunt: & cum repente fons è Saxo ortus esset, baptizati sunt. Qui permiserunt Apostolis, ut

si vellent, abirent. Sed Paulinus militum Præfectus recognitâ Processũ & Martinianum à suscepto consilio revocare conatur. Qui cùm frustra tempus contereret, ipsorum ora saxo contundi, dentésque cõminui jubet. Mox ad Jovis statuam adductos, cùm eadem constantiâ veneraturos se idola negarent, imperat equuleo torqueri, candentibus laminis ad eorum corpus admotis, ac cædi fustibus. Quibus in cruciatibus una hæc illorum vox audiebatur: Sit nomen Domini benedictum. Denique coniecti in carcerem paulò post extra Urbem viâ Aureliâ securi feriuntur. Quorum corpora Lucina in prædio suo sepelivit sexto Nonas Julij: quæ postea in Urbem translata, in Basilica Principis Apostolorum condita sunt. *R.* Sancti tui.

*Lectio 5. & 6. de serm. Quotiescunque. In 3. noct. Evangel. Descendens.*

---

C. 4. S. Udalrici Episc. Conf. *Semid.*

*Omnia de com. Conf. Pont.*

*Oratio. Exaudi.*

*Lect. 1. noct. de Script. occur.*

*In 2. & 3. noct. de com. 2. loc.*

---

R. 10. Septem Fratrum MM. *Duplex.*

*Ut in Brev. sed ritu duplici.*

---

A. R. 11. S. Pij Pap. Mart. *Duplex.*

*Omnia de com. un. Mart. præter seq.*

*Oratio. Infirmiorem. ut in com.*

*7. S. Pulcherii in fine lib. Lect.*

*Lect. 1. noct. de Script. occur.*

*In 2. noct. Lect. 4. prop.*

*5. & 6. de serm. Triumphalis.*

*In 3. noct. Evangel. Descendens.*

C. Eadem: Vigilia Ss. Herm. & Fortun.  
cum jejunio.

*Dicitur 9. lect. Ego sum vitis vera. de com.*

*MM. temp. pasch. ex parte verna.*

*Ponitur hic loci pro commoditate majori.*

*Lectio S. Evang. secundum Joan. c. 15.*

**I**N illo tempore: Dixit JESUS discipulis  
suis: Ego sum vitis vera: & Pater me-  
us agricola est. Et reliqua.

*Homil. S. August. Episc. Tract. 80. in Joan.*

**I**ste locus Evangelicus, fratres, ubi se di-  
cit Dominus vitem, & discipulos suos  
palmites, secundum hoc dicit, quod est ca-  
put Ecclesiæ, nōsque membra ejus, media-  
tor DEI, & hominum homo Christus JE-  
sus. Unicus quippe naturæ sunt vitis &  
palmites. Propter quod cū esset Deus,  
cujus naturæ non sumus, factus est homo,  
ut in illo esset vitis humana natura, cujus  
& nos homines palmites esse possemus.

Te Deum laudamus.

*Com. Vigiliæ ad Laudes.*

*Ant. & V. ex ser. occur.*

*Oratio.*

**O**Mnipotens sempiterne Deus da nobis  
Ss. Martyrum tuorum Hermagoræ,

D

&



¶ Fortunati precibus adjuvari, ut quorum  
 festa prævenimus, eorum auxilium capiamus. Per Dominum.

P. A. R. 12. Ss. HERMAGORÆ Pa-  
 triarchæ, & FORTUNATI Diaconi  
 MM. Eccles. Metrop. Aquil. Patronor.  
 Dupl. 1. class. cum Octav.

*Omnia de com. plur. MM. præter sequent.*

*Oratio.*

**D**EUS, qui nos hodierna die Beatorum  
 Martyrum tuorum Hermagoræ, &  
 Fortunati multiplici facis celebritate gau-  
 dere, tribue quæsumus, eorum nos sem-  
 per pijs defensionibus muniri, & orationi-  
 bus adjuvari. Per Dominum.

*Lect. 1. noct. de Epist. B. Pauli Apost. ad  
 Roman Frat. debit. &c. ut in com. plur. MM.  
 In II. Noct. Lectio iv.*

**H**ermagoras natione Germanus Civis  
 Aquilejensis B. Marci Evangelistæ,  
 qui primus in eadem Ecclesia Evangelium  
 prædicavit, discipulus, cum eo Romam  
 petijt, ubi à B. Petro Apostolorum Prin-  
 cipe baculo Pastoralis insignitus fuit: Aquile-  
 jam inde repetens, dum creditæ sibi Ec-  
 clesiæ excolendæ invigilat, apud Sebastum  
 Præsidem accusatur, quod Christum ju-  
 giter prædicans, deorum cultum everteret,  
 quamobrem diutissimè cæsus, cum interea  
 Christo gratias ageret, ac Præsidis deride-  
 ret sævitiã, jubetur in equuleo suspendi, &  
 ungui-

unguibus pectus dilaniari. Inde admotis pectori laminis candentibus, atque accensis lampadibus ad latera applicatis, quò diuina experiebatur supplicia, eò dulciores Christo laudes fortissimus Martyr efferebat.

R. Sancti tui Domine mirabile consecuti sunt iter, seruiens præceptis tuis, ut inuenirentur illæsi in aquis validis: \* Terra apparuit arida, & in mari rubro via sine impedimento.

W. Quoniam percussit petram, & fluxerunt aquæ & torrentes innundaverunt. Terra.

*Lectio v.*

**E**O spectaculo commota Civitate, Sebastianus furorem populi timens, subtradum tortoribus Hermagoram, carceri tetro emancipat. Nox erat, cum eò loci ingens de Cælo effulset lumen atque persuauis odor replevit carcerem, quibus prodigijs excitatus Pontianus Carceris custos, ac illustratus ea cælesti luce, antiquam superstitionis caliginem discutiens, ad pedes Sanctissimi Præsulis, provolutus initiari postulat Christianis mysterijs, cujus exemplo excitata Civium multitudo, ad Hermagoram certatim confluit, ac Crucifixi Dei gloriam cælesti spiritu prædicantem attendit, ejusque Religionem veram esse, atque unicam in Cælum viam edocta, Christiano gregi per Lavacrum regenerationis adjungitur incredibili cum gaudio Sancti

Pastoris. Fuit ex eo numero Gregorius Patritius Aquilejensis, cujus filium à triennio energumenum, jubente Hermagora, Dæmon dimisit (perspicientibus cunctis) atque è carcere egressus, Gregorio, universaque illius familia proprijs in ædibus baptizata, in carcerem ultrò revertitur, quem ob crebra miracula Dei Sacrarium reddiderat, ac sibi inter loci illius angustias, & squalorem, tamquam in Cælo, æternis cum Christo delicijs frui videbatur.

℞. Verbera carnificum non timuerunt Sancti Dei, morientes pro Christi nomine: \* Ut hæredes fierent in domo Domini.

℣. Tradiderunt corpora sua propter Deum ad supplicia. Ut hæredes.

*Lectio vi.*

CUM itaque adverterent Presbyteri, & Clerici Hermagoram amore Christi Domini ita succensum, ut nihil magis, quàm Martyrium exoptaret, rogabant quid facturi essent eo sublato, & responsum acceperunt, quod Fortunatum suum Archidiaconum in Episcopum eligerent, qui sacris undis Matronam viduam Alexandriam nomine abluerat, quæ in carcerem, Præfecto annuente, admissa, ad pedes Hermagoræ lumen oculorum jam receperat. Quibus ad Sebastum delatis, Fortunatum quoque in eundem carcerem detrudi jubet, ubi tam multa per ambos edebantur in dies

miracula, ut semper magis sibi metuens  
 Sebaſtus multitudinem populi, quæ Chri-  
 ſto adhæſerat, ſpiculatorem de nocte imi-  
 ſerit, qui Chriſti Athletis cervices abſcin-  
 deret, quo peracto cadavera, & ſanguis à  
 Pontiano clam collecta, & à pia muliere A-  
 lexandria, Gregorio adjutore aromatibus  
 delibuta, in agro ſuo juxta Urbis mænia  
 perhonorificè condita ſunt. Paſſi ſunt ſub  
 Nerone Cæſare, IV. Idus Julij.

**R.** Tamquam aurum in fornace probavit  
 electos Dominus, & quaſi holocauſti hoſti-  
 am accepit illos, & in tempore erit reſpe-  
 ctus illorum: \* Quoniam donum, & pax  
 eſt electis Dei. **V.** Qui confidunt in illum,  
 intelligent veritatem, & fideles in dilectio-  
 ne aquieſcent illi. Quoniam. Gl. Pat. Quo.

*In 3. noct. Homil. S. Greg. Pap. in Evang.  
 Cum audieritis. ut in eod. com. plur. MM.  
 Veſperæ dicuntur de ſeq. com. præc.*

*Ita Direct. Aquil. ab anno 1712.*

*Infra Octav. fit com. Ss. MM. in veſp. &  
 laud & nunquam fit de die infr. oct. ob feſtæ  
 intercurrentia.*

**C. 13. Dedicatio Eccleſ. Metrop. Aquilej.**  
*Dupl. 1. claſſ. abſque com oct. Ss. MM.  
 Omnia de com. Dedicacionis.*

*Per Diæceſ. ſine octav. ex Decr. S. R. Cong.  
 2. Maij 1619.*

*In 2. veſp. com. ſeq. tantum.*

Festum S. Anacleti P. M. *hodie occurrens transfertur semper, & plerúmque in partem autumnalem.*

Ponitur tamen hic loci, in quantum habet propr.

*Omnia de com. un. M. præter lect. 4tam.*

*Oratio. Deus, qui nos. de com.*

*Lect. 1. noct. de Script. occur.*

*In II. Noct. Lectio iv.*

**A**Nacletus Atheniensis, Trajano Imperatore, rexit Ecclesiam. Decrevit, ut Episcopus à tribus Episcopis, neque à paucioribus consecraretur: & clerici sacris ordinibus publicè à proprio Episcopo initiarentur: & ut in Missa, peracta consecratione, omnes communicarent. Beati Petri sepulchrum ornavit; Pontificúmque sepulturæ locum attribuit. Fecit Ordinationes duas mense Decembri, quibus creavit Presbyteros quinque, Diaconos tres, Episcopos sex. Sedit annos novem, menses tres, dies decem. Martyrio coronatus, sepultus est in Vaticano. *R. Honestum.*

*Lect. 5. & 6. de serm. Principes persecuti.*

*In 3. noct. Evang. Si quis venit.*

**C. 15. Divisio Apostolorum Duplex.**

*Omnia de com. Apost. præter sequent.*

*Oratio.*

**D**EUS, qui universum mundum BB. Apostolorum prædicatione docuisti:

da nobis quæsumus, ut quorum hodie divisionem colimus, per eorum ad te exempla gradiamur. Per Dominum.

*Lect. 1. & 2. noct. de com. Apost.*

*In 3. noct. Evangel. Convocatis. ex fer. 5. infra Oct. Pent. quod est in parte verna.*

*Pro majori comoditate apponuntur hic cælect.*

Lectio S. Evang. secundum Lucam.

*Lectio vii. Cap. 9.*

**I**N illo tempore: Convocatis Jesus duodecim Apostolis, dedit illis virtutem & potestatem super omnia dæmonia, & ut languores curarent. Et reliqua.

*Homil. S. Ambros. Ep. Lib 6. inc. 9. Luc.*

**Q**ualis debeat esse, qui evangelizat regnum DEI, præceptis Evangelicis designatur: ut sine virga, sine pera, sine calceamento, sine pane, sine pecunia, hoc est, subsidij sæcularis adminicula non requirens, fidèque tutus, putet sibi, quò minus ea requirat, magis posse suppetere. Quæ possunt, qui volunt, ad eum derivare tractatum, ut spiritalem tantummodò locus iste formare videatur affectum: qui velut indumentum quoddam videatur corporis exuisse, non solùm potestate rejecta, contemptisque divitijs, sed etiam carnis ipsius illecebris abdicatis. Quibus primò omnium datur pacis, atque constantiæ generale mandatum, ut pacem ferant, constantiam servent, hospitalis necessitudinis

jura custodiant: alienum à prædicatore regni cœlestis astruens curfitare per domos, & inviolabilis hospitij jura mutare.

*R.* Isti sunt, qui viventes in carne plantaverunt Ecclesiam sanguine suo: \* calicem Domini biberunt, & amici DEI facti sunt. *V.* In omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. *Calicem. Benedict.* Quorum festum.

*Lectio viii.*

**S**ed ut hospitij gratia deferenda censeatur: ita etiam, si non recipiantur, excutiendum pulverem, & egrediendum de civitate mandatur. Quo non mediocris boni remuneratio docetur hospitij: ut non solum pacem tribuamus hospitibus, verum etiam, si qua eos terrenæ obumbrant delicta levitatis, receptis Apostolicæ prædicationis vestigijs auferantur. Nec otiosè secundum Matthæum domus, quam ingrediantur Apostoli, eligenda decernitur: ut mutandi hospitij, necessitudinisque violandæ causa non suppetat. Non tamen eadem cautio receptori mandatur hospitij: ne, dum hospes eligitur, hospitalitas ipsa minuat.

*R.* Isti sunt viri sancti, quos elegit Dominus in charitate non ficta, & dedit illis gloriam sempiternam: \* Quorum doctrina fulget Ecclesia, ut sole luna.

*Y.* Sancti per fidem vicerunt regna, operati sunt justitiam. Quorum. Gl. Pat. Quo.

*Lectio ix.*

**S**ed hæc, ut secundum litteram de hospitij religione venerabilis est forma præcepti, ita etiam de mysterio sententia cælestis arridet. Etenim cum domus eligitur, dignus hospes inquiritur. Videamus igitur, ne fortè Ecclesia præferenda designetur & Christus. Quæ enim dignior domus Apostolicæ prædicationis ingressu, quàm Sancta Ecclesia? aut quis præferendus magis omnibus videtur esse, quàm Christus, qui pedes suis lavare consuevit hospitibus: & quoscunque sua receperit domo, pollutis non patiatur habitare vestigijs: sed maculosos licèt vitæ prioris, in reliquum tamen dignetur mundare processus? Hic est igitur solus, quem nemo debet deserere, nemo mutare. Cui benè dicitur: Domine, ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes, & nos credimus. Te Deum laudamus.

**I.** 15. S. Henrici Conf. *Duplex.*

*In hac Diœc. transfertur semper.*

*Omnia ut in Brev. sed ritu duplici.*

**19.** Octava Ss. Hermag. & Fort MM. *Dupl.*

*Omnia de com. plur. MM. præter seq.*

*Oratio. ut in Festo. pag. 26.*

*Lect. i. noct. curr. fer.*



In 2. noct. Lectio iv.

Nota: hæc lectiones, sicut & 3. noct. desumptæ sunt ex Octavario Roman. supra in festo S. Viti citato.

Sermo S. Fulgentij Episc. Serm. 10.

**D**electat videre campos segetum aureis maturitatis calamis aristarum, delectabilius libet attendere campos Ecclesiæ Martyrum micantes, plantatos de uno cruore per Agni sanguinem innocentem. Segetes etenim sunt passiones Martyrū, juxta cursus aquarum rigati fontibus lacrymarum. Nam sic modò beatus David martyrum purpurata germina, & ante messorum gaudiorum tamquam manceps secanti messoria, cythara decantabat: Qui seminant, inquit, in lacrymis, in gaudio metent. Ubi seminant in lacrymis, nisi juxta arborem crucis, ubi est fons proximus Salvatoris.

R. Sancti tui. ut Supr. pag. 27.

Lectio v.

**I**Nde de latere ejus sanguinis guttæ stillarunt, & pluvia cruoris, & aquæ seminata est tolerantia Confessorum. De ipso ligno virentis crucis juxta fontem sanguinis plantata virginitas floruit castitatis: Inde plantata martyrum tolerantia, cœpit feminis suis germina colligere purpurata. Nam unde Martyres tolerant, nisi per Dominicam crucem? Unde martyres, in quorum cordibus lex DEI est, maledictiones non

non timent hominum, nisi quia Christus Dominus pertulit patienter improperia Judæorum? Ista ergo seminatio sanguinis Christi fecit semina Martyrum pullulare in campo Matris Ecclesiæ, & dicit David: qui seminant in lacrymis, in gaudio metent: euntes ibant, & flebant.

*R. Verbera. ut supr. pag. 28.*

*Lectio vi.*

**S**ic perrexerunt, quomodo revertuntur? non flentes, sed gaudentes, non adhuc feminantes, sed manipulos suos læta cervice portantes. O germina, quæ non urit flamma, quia juxta flumen sunt vitreum in Jerusalem, & perpetuò virescunt flore immortalitatis vitæ æternæ. Nesciunt marcescere, quia non timuerunt pro justitia flammis arderi: quia Agnus deducet eos ad vitæ fontes aquarum, & delebit omnem lacrymam ab oculis eorum, & florebunt sicut lilium in medio Angelorum.

*R. Tamquam. ut supr. pag. 29.*

*In III. Nocturno.*

*Lectio S. Evang. secundum Lucam.*

*Lectio vii. Cap. 21.*

**I**n illo tempore: dixit JESUS discipulis suis: Cùm audieritis prælia, & seditiones, nolite terreri: oportet primùm hæc fieri, sed nondum statim finis. Et reliqua. Homil. S. August. Ep. Serm. 14. Lib. 50. hom.

**D**ominus noster JESUS Christus testibus

bus, id est Martyribus suis pro humana fragilitate sollicitis, ne fortè eum confitendo atque moriendo perirent, magnam securitatem dedit, dicens: capillus de capite vestro non peribit. Times ergo ne pereas, cujus capillus non peribit: si sic custodiuntur superflua tua, in quanta securitate est anima tua? Non perit capillus, qui cum tondetur, non sentis, & perit anima, per quam sentis? sanè multa dura eos passuros esse prædixit, ut prædicendo faceret paratior, dicerentque illi: Paratum cor meum. *R. Propter testament. pag 16.*

*Lectio viii.*

**Q**uid est paratum cor meum, nisi parata voluntas mea! Paratam ergo habent Martyres voluntatem in martyrio, sed præparatur voluntas à Domino. Illis autem in malis duris, atque asperis futuris commemorans adjecit: In patientia vestra possidebitis animas vestras. In vestra patientia inquit: non enim esset patientia tua, si non ibi esset & voluntas tua. In vestra patientia: sed unde vestra? nostrum est, quod à nobis habetur, nostrum est, & quod nobis donatur. *R. Sancti tui. ut supr. pag. 19.*

*Lectio ix.*

**Q**uomodo enim aliquid donas, nisi ut ejus sit, cui donas? Aperta est enim illa confessio: Nonne Deo subijcietur anima mea, ab ipso enim est patientia mea?  
dicit

dicit nobis ipse, in vestra patientia: dicamus illi & nos, patientia mea ab ipso est. Tuum fecit donando, noli ingratus esse tibi assignando. Nonne in oratione Dominicâ dicimus, & nostrum esse, quòd à Deo est? Quotidie dicimus, panem nostrum quotidianum. Jam dixisti: nostrum, & dicis, da nobis: Ecce nostrum, ecce da nobis. Illo dante fit nostrum. Te Deum laudam.

---

C. 20. S. Margaritæ V. M. *Semiduplex.*

*Omnia de com. VV. MM.*

*Oratio.* Indulgentiam.

*Lect. 1. noct. de Script. occur.*

*In 2. noct. de serm. Quoniam.*

*In 3. noct. Evang. Simile est regnum cœlor. thesauro. de com. non Virg. & B. de Virg.*

---

C. 24. S. Christinæ V. M. *Semidupl.*

*Omnia de com VV. MM.*

*Oratio.* Indulgentiam.

*Lect. 1. noct. de Script occur.*

*In 3. noct. Evang. Accesserunt.*

*De com. VV. MM. 2. loco.*

*9. Lect. & com. Vigil S. Jacob.*

---

C. 25. S. Christophori Mart. *Semidupl.*

*Transfertur semper.*

*Omnia de com. un. M.*

*Oratio.* Præsta quæf. omnip. Deus, ut qui.

*Lect. 1. noct. de Script. occur.*

*In 2. & 3. noct. de com. 2. loco.*

C. 27. S. Pantaleonis Mart. *Semidupl.*

*Omnia de com. un. M. præter seq.*

*Lect. 1. noct. de Script. occur.*

*In 2. noct. Lect. 4. propr.*

*5. & 6. de serm. Principes. de com. 2. loc.*

*In 3. noct. Evang. Nihil est opertum.*

*ut 14. Octob. vel sumantur ex festo S. Joan.*

*Nepom. inter Festa nova pag. 124.*

---

### FESTA AUGUSTI.

C. 3. Inventio S. Stephani M. *Duplex.*

*Omnia ut in Brev. sed ritu duplici.*

---

C. 13. Ss. Hypoliti, & Cassiani MM. *Semid.*

*Omnia de com. plur. MM. præter seq.*

*Oratio. Da quæsumus. ut in Brev.*

*Lect. 1. noct. de Script. occur.*

*In 2. noct. 4. propria.*

*5. & 6. de sermone : Nemo est.*

*In 3. noct. Evangel. Descendens.*

---

C. 16. S. Rochi Conf. *Duplex.*

*Transfertur semper festum S. Hyacinthi.*

*Omnia de com. Conf. non Pont.*

*Oratio. Deus, qui nos.*

*Lect. 1. noct. de Script. occur.*

*In 2. & 3. noct. de com. 1. loco.*

---

C. 38. S. Agapiti Mart. *Semidupl.*

*Omnia de com. un. M. præter seq.*

*Oratio. Lætetur. ut in Brev.*

*Lect. 1. noct. de Script. occur.*

*In 2. noct. 4. propria.**5. & 6. de serm. Triumphalis.**In 3. noct. Evangel. Si quis vult.**I. 19. S. Ludovici Tolos. Ep. Conf. Semid.**Vide inter Festa nova supra pag. 152.**C. 21. Ss. Donati & Soc. MM. Eccles. Ci-  
vitatens. Tutel. Duplex.**Omnia de com. plur. MM.**Oratio. Deus, qui nos concedis.**Lect. 1. noct. de Script. occur.**In 2. & 3. noct. de com. 2. loco.**R. 23. Ss. Hermogenis, & Fortunati MM.**Duplex. Transfertur semper.**Oratio. Deus, qui nos concedis.**Lect. 1. noct. de Script. occur.**In 2. noct. de serm. Quotiescunque.**In 3. noct. Evangel. Descendens.**C. 27. Translatio Corporum Ss Hermag.  
& Fortun. MM. Duplex.**Omnia de com. plur. MM. præter orat.**Oratio.*

**D**EUS, qui gloriosa BB. MM. tuorum  
Hermagoræ, & Fortunati membra  
nobis famulis tuis revelare dignatus es :  
concede propitius, ut qui eorum corpo-  
rum translationem hodie venerando colim-  
us, ipsorum beatitudini te concedente ad-  
jungi mereamur. Per Dominum.

*Lect. 1. noct. de Script. occur.**In 2. & 3. noct. de com. 1. loco.*

40 *Festa Aug. & Sept.*  
P. 28. S. Pelagij M. Eccl. Æmonien. Patr.  
*Dupl. Transfertur semper.*

*Omnia de com. un. M.*  
*Oratio. Præsta quæſ. omnip. Deus, ut qui.*  
*Leçt. 1. noct. de Script. occur.*  
*In 2. & 3. noct. de com. 1. loco.*

---

C. Eâdem S. Danielis Proph. Conf. *Dupl.*  
*Transfertur semper.*

*Omnia de com. Conf. non Pont. præter leçt.*  
*In hymno. Meruit supremos.*  
*Oratio. Deus, qui nos.*  
*Leçt. in 2. & 3. noct. ex Dom. 3. Nov.*  
*In 3. noct. Evangel. Cum videritis abomi-*  
*nationem. ex Dom. 24. post Pent.*

---

C. 30. S. Juliani Mart. *Semidupl.*  
*Transfertur semper.*

*Omnia de com. un. Mart.*  
*Orat. Præsta quæſ. omn. Deus, ut interced.*  
*In 2. noct. de serm. Triumphalis.*  
*In 3. noct. Evangel. Si quis vult.*

---

## FESTA SEPTEMBRIS.

I. Dom. 1. Sept. Ss. Angelor. Custodum.  
*Dupl. 2. class. cum Octava.*  
*Offic. ut in die 2. Octobr. dicitur 9. leçt. Dom.*  
*occur. & fit commemor. ejus in utriusque*  
*vesperis, & laudibus.*

*Vide etiam supra inter Festa nova pag. 158.*

---

C. 1. S. Ægidij Abb. *Semidupl.*  
*Omnia de com. Conf. non Pont.*

*Oratio.*

Oratio. Intercessio. ut in brev.

Com. Ss. MM. ut ibidem.

Lect. 1. noct. de Script. occur.

In 2. noct. Lect. 4. propr.

5. & 6. de sermone Beati nos dies.

In 3. noct. Evang. Ecce nos reliquimus. De com. Abb.

R. 3. Ss. Euphemix, & Soc. VV. MM. Dupl.

Omnia de com. VV. MM. præter orat. &

lect. 2. noct. ex Decr. S. R. C. 10. Decem.

1707. uti Director. Aquil. notat. Anno

1709. Ant. in utrisq. vesp. & laud.

Prudentes Virg. ¶ Adducentur Regi. ut

in Brev. de com. VV. MM.

Oratio.

**D**A nobis misericors Deus Ss. Virgini-

bus, & Martyribus tuis Euphemia,

Dorothea, Thecla & Erasma interceden-

tibus cœlestis gratiæ abundantiam, ut earū

passio celebrata præsentis vitæ subsidium

conferat, & æternæ. Per Dominum.

Lect. 1. noct. de Script. occur.

In II. Noct.

Lectio iv.

**E**uphemia, Dorothea, Thecla, & Eras-

ma Virgines Aquilejenses nobiliter

progenitæ, quarum priores Valentij filiæ

hominis idololatriæ addicti; sequentes ye-

rò Valentiniani ejusdem fratris Christi no-

men profitentis, cujus studio omnes in

Christiana fide erudiebantur. Quada n re-



rò die, cùm suppliciter efflagitarent, ut Natisi fluminis lustralibus undis, baptis-  
 matis desiderio abluerentur, precibus Deo ob-  
 latis, insigni prodigio flumen divinitùs cur-  
 sum remoratur, ac tamdiu constitit, donec  
 eâdem horâ adveniente Valentiniano, ac  
 B. Hermagora Episcopo continuò bap-  
 tizantur, & Virgines Deo consecrantur.  
 Cùm interim Valentius Euphemiam, &  
 Dorotheam nubendas destinasset: respu-  
 unt illæ terrenas nuptias, cœlesti Sponso  
 dicatæ. His Genitor auditis insaniens, ar-  
 repto gladio utramque aggreditur, at illæ  
 furentis Patris è manibus elapsæ ad Valen-  
 tinianum Patrum confugiunt, quas ipse  
 cum filiabus in suæ domûs latebris abdidit.  
 Verùm fraude servi detectæ, qui statim à  
 Dæmone arreptus, in Natisum fluvium se  
 præcipitem dedit, ab ipso Valentio inse-  
 quente orantes deprehensæ, Servasto Præ-  
 fidi pro Christiano nomine puniendæ tra-  
 duntur. *℞. Propter veritat. ut supr. pag. 2.*

*Lectio v.*

**D**Elatas sibi Virgines Præses, ut eas vidit  
 blanditijs ad apostasiam attrahere non  
 potuisse, imperat primû nudas flagellis cæ-  
 di, in verso mox corpore suspendi, & mal-  
 leis capita eo usque contundi, quo sanguis  
 e naribus copiosè difflueret, sed omnibus  
 cruciatibus fortiores, carceri mancipandas  
 decernit. Sequenti mane, quia à vulneri-  
 bus

bus incolumes cernebantur, hortatur Servastus pro accepto beneficio Dijs litare, quorum pietati salutem debere suadebat, at illæ solum Jesum Dei Filium cœlestem medicum confitentur, & prædicant. Jubet intereâ Præses easdem equuleo suspendi, latera lampadibus aduri, ac tandem mammillas crudeliter amputari, quæ canibus devorandæ projectæ, singulari ab ipsis custodiâ venerantur. Iterum igitur carceribus occluduntur, & altera die nudæ circumducuntur per urbem, sed orante S. Euphemiâ Angelus Domini singulas candidâ stolâ superinduit, ac pristinæ incolumitati restituit, quin & novum contulit decorem, cùm in earum corporibus nec plagarum vestigia apparerent, & vultus earum solis instar enitescerent.

R. Dilexisti justitiam. *ut supr. pag. 3.*

*Lectio vi.*

**T**Antis prodigijs, virginúmque constantiâ nil commotus Præses, ut audivit irridentes inania Deorum simulachra, capite plectendas mandavit, quam impiam sententiam in filias & neptes Valentius ipse sese obtulit executurum. Adijt ergò altissimam turrim, ubi filias eximiæ pulchritudinis anteaçto tempore aliquamdiu custodierat, ibique proprijs manibus omniû capita obtruncavit, & in præterfluentem Natisum dejecit: Divinam tamen ultio-

nem immanis adeò facinoris vindicem sensit, ingenti illicò terræmotu turri concussâ, ignéque cælitùs obruente qui Valentinum, ejusque comites, & turrim ipsam à fundamentis incendit. Cùm autem noctu Valentinianus cum S. Hermagora beatarum Virginum corpora & capita inquisiturus descenderet prope flumen, ecce navicula apparuit sacris pignoribus onusta, quæ à duobus Juvenibus ingentis speciei & luminis navem ducentibus, Sancti Antistiti oblata ab eo honorifico sepulchro, religioso Cleri comitatu domi ejusdem Valentiniani in Ecclesiam consecratæ, condita sunt. *R. Afferentur. ut supra pag. 4.*

*In 3. noct. Evangel. Accesserunt. de com. VV 2. loco.*

I. 4. S. Rosaliæ Virg. *Duplex. maj.*  
*Vide inter Festa nova pag. 158.*

A. 7. S. Anastasij Mart. *Duplex.*  
*Omnia de com. un. M.*

*Oratio. Præsta quæf. omnip. Deus, ut qui.*  
*Lect. 1. noct. de Script. occur.*

*In 2. & 3. noct. de com. 2. loco.*

I. Dom. 2. Sept Oct Ss. Angel Cust. *Dupl.*  
*Vide inter Festa nova pag. 182.*

I. Dom. infra Oct. Nativ. B. M. V.  
*Festum Nominis B. M. V. Dupl. 2. cl.*  
*Omnia ut in Brev. sed sub hoc ritu.*

**C. 13.** Septem Dormientium *MM. Scmid.*

*Omnia de com. plur. MM.*

*Oratio.* Deus, qui nos concedis.

*Lect. 1. noct. de Script. occur.*

*In 2. & 3 noct. de com. 2. loco.*

---

**1.** Dom. 3. in mense Sept. Fest. Tit. Archi-Confrater. Septem Dolor. B. M. V.

*Vide inter Festa nova pag. 184.*

---

**C. 26.** S. Gerardi Episc. M. *Duplex.*

*Olim 24. bujus. Dein, uti citat. Director. Aquil. de anno 1709 & 1716. ex Decr. S. R.*

**C. 10.** Dec. transpositum in diem 26.

*Omnia de com. un. M. præ. lect iv. propr.*

*Oratio.* Infirmiorem.

*Lect. 1. noct. de Script. occur.*

*In II. Noct. Lectio iv.*

**G**erardus Venetijs ex Sagreda Patritia familiâ natus, ab ineunte ætate divino cultui deditus Monasticum amplexus est institutum sub regula S. Benedicti in monasterio S. Georgij Majoris Venetiârû, in quo divinis contemplationibus vacans, flagranti animo concupivit Dominicum sepulchrum invisere. Cùm igitur in Palestinam tenderet, pervenit in Pannoniæ partes, ubi tunc pijsimus Rex Stephanus regnabat, à quo benignè exceptus, primum eremiticam vitam duxit. Mox Episcopus creatus commissas sibi oves verbo, & exemplo pascere nunquam destitit, donec

in persecutione Christianorum, quæ in Pannonia, ut ipse prædixerat, post sanctissimi Regis obitum secuta est, lapidibus obrutus, martyrij palmam obtinuit, atque sanctitate doctrina & miraculis clarus Hungarorū Apostolus meruit nuncupari.

*R.* Honestum fecit.

*Lect* 5. & 6. *de serm.* Triumphalis.

*In* 3. *noct.* *Evangel.* Si quis venit.

---

### FESTA OCTOBRIS.

*C.* 6. *S.* Fidei *V. M.* *Semiduplex.*

*Transfertur semper.*

*Omnia de com.* *VV. MM.*

*Oratio.* Indulgentiam.

*Lect.* 1. *noct.* *curr. fer.*

*In* 2. *noct.* *de serm.* Nunc nobis.

*In* 3. *noct.* *Evang.* Simile est regnum cœlor. decem Virginibus.

---

*C.* 7. *S.* Justinæ *V. M.* *Duplex.*

*Omnia de com.* *VV. MM.*

*Oratio.* Deus, qui inter cætera.

*Lect.* 1. *noct.* *curr. fer.*

*In* 2. & 3. *noct.* *de com.* 1. *loco.*

---

*R.* Eâdem *S.* Marci Pap. Conf. *Duplex.*

*Transfertur semper.*

*Omnia de com.* Conf. Pont. præter seq.

*Oratio.* Exaudi Domine. *ut in Brev.*

*Lect.* 1. *noct.* *curr. fer.*

*In* 2. *noct.* *Lect.* 4. *propr.*

5. & 6. *de serm.* Ad Sancti. *de com.* 1. *loco.*

*In* 3. *noct.* *Evang.* Vigilate. *de com.* 2. *loc.*

R. 10. Ss. Gereonis & Soc. MM. *Duplex.*

*Omnia de com. plur. MM.*

*Oratio.* Deus, qui nos concedis.

*Leet. 1. noct. de Script. occur.*

*In 2. noct. de serm. Nemo est. de com. 2. loc.*

*In 3. noct. Evangel. Cùm persequentur.*

*Ut 2. Maijin parte verna.*

*Pro majori commoditate ponunt. hic. ea leet.*

Leetio S. Evang. secundum Matth.

*Leet. vii. Cap. 10.*

**I**N illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Cùm persequentur vos in civitate ista, fugite in aliam. Et reliqua.

Homilia S. Athanasij Episcopi.

*In Apol. de fuga sua ante med.*

**I**N lege præceptum erat ut constituerentur civitates refugiorum, ut qui quomodocunque ad necem quærentur, servari possent. In consumatione porro sæculorum cùm advenisset illud ipsum Verbum Patris, quod Moyse antea locutum fuerat, rursus hoc præceptum dedit: cùm vos inquires, persecuti fuerint in civitate ista, fugite in aliam. Paulóque post subijcit: Cùm videritis illam abominationem desolationis, quæ dicta est per Daniele Prophetam, consistentem in loco sancto (qui legit, intelligat) tunc qui in Judæa sunt, fugiant ad montes: & qui in tecto est, ne descendat tollere aliquid de domo sua:

sua: & qui in agro est, non revertatur tollere tunicam suam.

*R.* Propter testament. *ut supr. pag. 16.*

*Lectio viii.*

**H**Æc cum scirent sancti, ejusmodi tenuerunt suæ conversationis institutum. Quæ enim nunc præcepit Dominus, eadem quoque ante suum in carne adventum locutus est in Sanctis: & hoc institutum homines ad perfectionem ducit. Nam quod Deus jusserit, id omnino faciendum est. Ideoque & ipsum Verbum propter nos homo factum non indignum putavit, cum quæreretur, quemadmodum & nos abscondere se, & cum persecutionem pateretur, fugere, & insidias declinare: Cum autem à se definitum tempus ipse adduxisset, in quo corporaliter pro omnibus pati volebat, ultrò se ipsum tradidit insidiantibus.

*R.* Sancti mei. *ut supr. pag. 19.*

*Lectio ix.*

**A**T verò sancti homines cum hanc quoque formam à Salvatore didicissent ( ab ipso enim & antea & semper omnes docebantur ) adversus persecutores, ut legitime certarent, fugiebant, & ab illis quæsi se abscondebant. Cum enim præstituti sibi à Divina providentia temporis finem ignorarent, nolebant insidiantibus se temerè tradere: Sed contra, cum scirent, quod scriptum est in manibus DEI esse hominum

minum fortes, & Dominum mortificare,  
& vivificare; potius in finem usque perse-  
verabant, circumeuntes, ut ait Apostolus,  
in melotis, & pellibus caprinis, egentes,  
angustiati, in solitudinibus errantes, & in  
speluncis & cavernis terræ latentes, quoad  
vel definitum mortis tempus veniret, vel  
qui tempus ipsum definierat Deus, cum  
eis loqueretur, & insidiantes cohiberet,  
aut certè persecutoribus eos traderet, ut-  
cumque illi placuisset. Te Deum laudam.

C. 21. Ss. Ursulæ, & Soc. VV. MM. *Semid-  
Omnia de com. VV. MM.*

*Ant. ad vesp. & laud. Prudentes Virg.*

*V. Adducentur Regi.*

*Oratio. Da nobis. ut in com. plur. VV. MM.*

*Lect. 1. noct. curr. fer.*

*In 2. noct. de serm. Quoniam hodie,*

*In 3. noct. Evangel. Cum audieritis. de com.  
plur. MM. RR. de com. Virg.*

*A parte Imperij celebratur ritu duplici cum  
lect prop. 2. noct.*

*Vide inter Festa nova pag. 201.*

I. 31. S. Wolfgangi Episc. Conf. *Duplex.*

*Vide inter Festa nova pag. 203.*

## FESTA NOVEMBRIS.

P. 3. S. Justi M. Eccl. Tergest. Patr. *Dupl.*

*Si dies 3. Nov. est fer. 2da. celebratur hoc  
fest. 2. hujus. ex Deer. S.R.C. 11. Jul. 1716.*



*Omnia de com. un. M. pract. LL. 3. noct.**Oratio.* Præsta quæſ. omnip. Deus, ut qui.  
*Leet. 1. noct. de Script. occur.**In 2. noct. de serm. Triumphalis.**In 3. noct. Evang. Nisi granum. ut 10. Aug.  
in parte æstiva.**Pro majori comòditate ponunt. hic eæ lectiones.*

Leetio S. Evang. secundùm Joan.

*Leetio vii. Cap. 12.***I**N illo tempore: Dixit JESUS discipulis  
suis: Amen amen dico vobis, nisi gra-  
num frumenti cadens in terram mortuum  
fuerit, ipsum solum manet. Et reliqua.

Homilia S. Augustini Episc.

*Tract. 51. in Joan. sub med.***I**Pse Dominus JESUS erat granum mor-  
tificandum & multiplicandum, morti-  
ficandum infidelitate Judæorum, multi-  
plicandum fide populorum. Jam verò ex-  
hortans ad passionis suæ sectanda vestigia,  
qui amat, inquit, animam suam, perdet  
eam. Quod duobus modis intelligi potest.  
Qui amat, perdet: id est, si amas, perdes.  
Si cupis vitam tenere in Christo, noli mor-  
tem timere pro Christo. Item alio modo:  
Qui amat animam suam, perdet eam: noli  
amare, ne perdas: noli amare in hac vita,  
ne perdas in æterna vitâ.**R.** Corona aurea super caput ejus: \* Ex-  
pressa signo sanctitatis, gloria honoris, &  
opus fortitudinis. **V.** Quoniam prævenisti  
eum in benedictionibus dulcedinis, posui-

sti in capite ejus coronam de lapide pretioso. Expressa. *Lectio viii.*

**H**Oc autem, quod posterius dixi, magis habere videtur Evangelicus sensus. Sequitur enim: & qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam. Ergò quod supradictum est, qui amat (subintelligitur, in hoc mundo) ipse utique perdet: qui autem odit (utique in hoc mundo) in vitam æternam ipse custodit eam. Magna & mira sententia, quemadmodum sit hominis in animam suam amor ut pereat, odium ne pereat. Si malè amaveris, tunc odisti: si benè oderis, tunc amasti. Felices, qui oderunt custodiendo, ne perdant amando.

**R.** Hic est verè Martyr qui pro Christi nomine sanguinem suum fudit: \* Qui minas Judicum non timuit, nec terrenæ dignitatis gloriam quæsit, sed ad cælestia regna pervenit. **V.** Justum deduxit Dominus per vias rectas, & ostendit illi regnum Dei. Qui minas. Gl. Pat. Qui.

*Lectio ix.*

**S**ed vide, ne tibi subrepat, ut te ipsum velis interimere, sic intelligendo, quòd debes odisse in hoc mundo animam tuam. Hinc enim quidam maligni atque perversi homines, & in se ipsis crudeliores & sceleratiorès homicidæ, flammis se donant, a quis se præfocant, præcipitio se collidunt, &

& pereunt. Hoc Christus non docuit: imò etiam diabolo præcipitium suggerenti respondit: Redi retrò Sathanas: scriptum est, non tentabis Dominum Deum tuum. Petro autem dixit, significans qua morte clarificaturus erat Deum: cùm esses junior, cingebas te, & ambulabas, quo volebas: Cùm autem senueris, alter te cinget, & feret quo tu non vis. Ubi satis expressit, non à se ipso, sed ab alio debere occidi, qui vestigia sequitur Christi. Te Deum laudamus.

---

C. 6. S. Leonardi Confess. *Semidupl.*

*Omnia de com. Conf. non Pont.*

*Oratio.* Adesto.

*Lect.* 1. noct. de Script. occur.

*In 2. & 3. noct. de com. 1. loco.*

---

P. 7: S. Prosdocimi Episc. Conf. Ecclesiæ Patavinæ Patroni. *Duplex.*

*Omnia de com. Conf. Pont.*

*Oratio.* Exaudi.

*Lect.* 1. noct. de Script. occur.

*In 2. & 3. noct. de com. 2. loco.*

---

C. 8. Quatuor Coronat. MM. *Semidupl.*

*Transfertur, & ferè semper in partem hyemalem, hinc ponuntur hic ea, quæ sunt propr.*

*Omnia de com. plur. MM. prætor. & lect. iv.*

*Oratio.*

**P**Ræsta quæsumus omnipotens Deus:  
 ut

ut qui gloriosos Martyres fortes in sua confessione cognovimus, pios apud te in nostra intercessione sentiamus. Per Domin.

*Lect. i. noct. de Script. occur.*

*In II. Noct. Lectio iv.*

**S**EVERUS, Severianus, Carpaphorus, & Victorinus, fratres, in persecutione Diocletiani, deorum cultum liberè detestantes plumbatis cæsi in verberibus vitam pro Christi nomine profuderunt. Quorum corpora canibus objecta, cum ab illis intacta diu fuissent, sublata à Christianis, viâ Lavicanâ tertio ab urbe lapide in arenaria sepeliuntur propè sepulchrum Sanctorum Martyrum Claudij, Nicostrati, Symphoriani, Castorij, & Simplicij; qui eodem Imperatore passi erant, quòd cum essent summi Sculptores, nullo modo adduci potuerant, ut idolorum statuas facerent: & ad Solis simulacrum ducti, ut illud venerarentur, nunquam commissuros se dixerunt, ut adorarent opera manuum hominum. Quamobrem in carcerem conjecti, cum ibi multos dies in eodem proposito perstitissent, primùm scorpionibus cæsi, deinde vivi plumbeis oculis inclusi in flumen deijciuntur. Extat in urbe Ecclesia sub nomine Sanctorum Quatuor Coronatorum, quorum diu ignota nomina divinitus postea patefacta sunt: ubi non solùm illorum Quatuor, sed etiam horum quinque

que Martyrum corpora honorificè sepulta sunt, & eorum festivitas Sexto Idus Novembris celebratur.

*R.* Sancti tui. *ut in Brev.*

*Lect.* 5. & 6. *de serm.* Nemo est. *de com.* 2. *loc.*

*In 3. noct.* Evangel. Descendens.

8. *R.* Hæc est vera fraternitas.

C. 9. S. Theodori Mart. *Semidupl.*

*Transfertur semper, uti præcedens offic.*

*Omnia de com. un. M. præt. orat. & lect. iv.*

*Oratio.*

**D**Eus, qui nos B. Theodori Martyris tui confessione gloriosa circumdas, & protegis: præsta nobis ex ejus imitatione proficere, & oratione fulciri. Per Domin.

*Lect.* 1. *noct. de Script. occur.*

*In II. Noct.*

*Lectio iv.*

**T**heodorus miles Christianus, Maximiano Imperatore, quòd idolorum sanum incendisset, comprehensus, cùm à Præfecto legionis pœna ei remitteretur, si pœnitens facti Christianam fidem execraretur, constanter in fidei confessione perseverans missus est in carcerem, ubi unguili excarnificatus, dum costæ nudarentur, lætus canebat: Benedicam Dominum in omni tempore. Quare in ardentem rogam injectus, in oratione, & divinis laudibus animam Christo reddidit quinto idus Novembris, cujus corpus Eusebia Matrona

Syn-

Syndone involutum sepelivit in suo prædio. & Honestum. *ut in Brev.*

*Lect. 5. & 6. de serm. Princip. ut in com. 2. loc.*  
*In 3. noct. Evangel. Si quis vult.*

---

R. 11. S. Mennæ Mart. *Duplex.*

*Omnia de com. un. M. præter seq.*

*Oratio. Præsta quæf. omnip. Deus, ut qui.*

*Lect. 1. noct. de Script. occur.*

*In 2. noct. Lect. 4. propr.*

*6. de serm. Principes. de com. 2. loco.*

*In 3. noct. Evang. Nisi granum, uti 10. Aug.*

*quod vide supra in festo S. Iusti pag. 49.*

---

R. 14. Patrocini B. M. V. *Duplex. maj.*

*In Diac. Aquil. celebrat. hoc festum hac die*

*ex Decr. S. R. C. de die 8. Jan. 1709. ci-*

*tato à Direct. Aquil. anno 1710.*

*Omnia ut in festo ad Nives, vel qui mavult*

*ex parte autumnali pro majori comoditate*

*orare: ut in festo B. M. V. de Mercede*

*24. Sept. prat. orat. & lect. 2. noct.*

*Orat. Concede nos famul. tuos. ut in Suffr.*

*LL. 2. noct. ut in die 5. infr. Oct. Nat. B. M. V.*

*Sermo S. Joan. Chrysof. DEI filius &c.*

*R. & reliq. ut in præfato festo.*

---

P. 22. S. Mauri Mart. Eccl. Parent. Patr.

*Duplex. Transfertur semper.*

*Omnia de com. un. M.*

*Oratio. Præsta quæf. omnip. Deus, ut qui.*

*Lect. 1. noct. de Script. occur.*

In 2. noct. de serm. Triumphalis.

In 3. noct. Evang. Si quis vult.

R. 23. S. Felicitatis M. Duplex.

Omnia de com non Virg. præter seq.

Oratio. Præsta quæsum. ut in Brev.

Lect. 1. noct. de Script. occur.

In 2. noct. 4. propria.

5. & 6. de serm. Ego maximè. de com. 2. loc.

In 3. noct. Evang. Simile est reg. cœl. thesa.

R. 24. S. Chryfogoni Mart. Duplex. *Johani*

Omnia de com. un. M. præter seq. *à Cruce*

Oratio. Adesto Domine. ut in Brev. *in d*

Lect. 1. noct. de Script. occur. *post J. d. officium*

In 2. noct. Lect. 4 & 5. prop.

Lect. 6. de serm. Principes. de com. 2. loc.

In III. Nocturno.

Lectio S. Evang. secundum Matth.

Lectio vii. Cap. 10.

**I**N illo tempore: Dixit JESUS discipulis suis: Nolite arbitrari, quia pacem venerim mittere in terram: non veni pacem mittere, sed gladium. Et reliqua.

Homil. S. Hilar. Episc. Can. 10.

**Q**Uæ ista divisio est? inter prima enim legis præcepta accepimus, honora Patrem tuum, & Matrem tuam; & ipse Dominus ait: Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis. Quid sibi vult missus potius gladius in terram, & separatus à patre filius, & filia à Matre, & nurus adver-

adversus focrum, & hominis domestici ejus inimici? Igitur exinde publica auctoritas impietati proferretur. Ubique odia, ubique bella, & gladius Domini, inter patrem & filium, & inter filiam, matremque defæviens.

*R.* Corona. *ut in festo S. Justi pag. 50.*

*Lectio viii.*

**G**Ladius telorum omnium telum acutissimum est, in quo fit jus potestatis, & judicij severitas, & animadversio peccatorum. Et hujus quidem teli nomine novi Evangelij prædicationem appellatam frequens in Prophetis auctoritas est. Dei igitur verbum nuncupatum meminerimus in gladio, qui gladius missus in terram est, id est, prædicatio ejus hominum cordibus infusa. Fitque gravis in domo tua dissensio, & domestica novo homini erunt inimica: quia ille per Verbum Dei divisus ab illis, manere & interior, & exterior, id est, & corpus, & anima in spiritus novitate gaudebit. *R.* Hic est. *ut supr. pag. 51.*

*Lectio ix.*

**P**Ergit deinde eodem præceptorum & intelligentiæ decursu. Nam postquam relinquenda omnia, quæ in sæculo clarissima sunt, imperaverat, adjecit: Qui non accipit crucē suā, & sequitur me, non est me dignus: quia qui Christi sunt, crucifixerunt corpus cum vitijs & concupis-



centia. Et indignus est Christo, qui non crucem suam, in qua compatimur, comorimur, consepelimur, conresurgimus: accipiens, Dominum sit secutus, in hoc Sacramento fidei, Spiritus novitate victurus.

Te Deum laudamus.

*Nota: hæ lect. desumptæ ex Octav. Rom.*

*A. 27. S. Valeriani Patr. Aquil. Conf. Dupl.*

*Omnia de com. Conf. Pont.*

*Oratio. Exaudi.*

*Lect. 1. noct. de Script. occur.*

*In 2. & 3. noct. de com. 2. loco.*

### SUFFRAGIA.

*Ss. Hermagoræ, & Fortunati dicenda post  
commem. Ss. Petri, & Pauli.*

*Ad Laudes, Antiph.*

Media nocte B. Hermagoras baptizavit Gregorium cum tora domo sua.

*V. Exultabunt Sancti in gloria*

*R. Lætabuntur in cubilibus suis.*

*Ad Vesperas, Antiph.*

Sancti Hermagora, & Fortunata Martyres Christi intercedite pro nobis, ut mereamur vobiscum esse in cœlis.

*V. Lætamini in Dño, & exultate. Iusti*

*R. Et gloriamini omnes recti corde.*

*Orat. Intervenientibus Dñe sanctis Martyribus tuis Hermagora, & Fortunato Ecclesiæ tuæ quæsumus preces placatus admitte, ut destructis adversitatibus & erroribus securam tibi serviat libertate.*

*Ca-*

*Casus reservati Diœc. Aquil. cum additis à  
Patriarcha Dionysio.*

**I**ncestuosi in primo & secundo gradu consanguinitatis, & in primo affinitatis. *Additum* tam agentes quam patientes.

**II.** Concubitus contra naturam quo ad mares. *Reformatum.* Sodomia consummata etiam inter personas diversi sexus, & tam agentes, quam patientes.

**III.** Filij parentum percussores.

**IV.** Blasphematores aut consuetudinarij, aut publici.

**V.** Testificantes falsum in iudicio in grave alicujus damnum. *Additum* licet nondum sit secutum ipsum damnum.

**VI.** Exercentes magicas artes & sortilegia

**VII.** Infantium suffocatio. *Additum.* tam deliberata, quam casualis ex culpa lethali. Nec non abortus ex industria tantum procuratus prolis conceptæ. *Additum.* tam animatæ quam inanimatæ. Et ad abortum consilium vel auxilium præstantes.

**VIII.** Homicidæ Voluntarij. *Additum.* tum etiam mandantes & consulentes homicidium effectu secuto.

**IX.** Qui ad magicas artes vel sortilegia abutuntur Eucharistia, sacrisve rebus. *Additum.* etiam absque expressa Dæmonis invocatione.

**X.** Actus in genere luxuriæ consummatus confessarij cum sua pœnitente. *Additum.* vel fœminæ pœnitentis cum suo confessario.

§. Cum in Dicec. Aquil. officium S. Georgij celebretur 23. Apr. e contra in foro hoc festum celebretur 24. possunt ij, qui habent patrociniū de S. Georgio, dicere officium de Sancto 24. sub dupl. 1. cl. cum oēt & 23. dicere aliquod officium ex translatis. Ita P. Halden p. 4. tit. 4.

§. Cum 12. Julij in foro celebretur etiam festum S. Margar. V. M. debent illi, qui habent patrociniū de Sancta, dicere offic. de Ss. Herm. & Fort. eo quod festi univers. potior sit ratio habenda, quam festi partic. Possunt tamen dictā una missā de Sanctis alteram dicere solemn. ob concursum populi de Sancta cum. Gl. & Cr. sine coñem. Ss. Offic. verò dicant de Sancta 20. ejusd. sub dupl. 1. cl. cum oēt. S. R. C. 27. Sept. 1698.

§. *Norma purificandi calicem in missis Nativ. Dom. quando missæ ab uno Sacerdote in diversis Ecclesijs dicuntur.*

In consimili casu ablutio coñunicandis, si adsunt, porrigatur, his verò deficientibus in sacrarium, vel locum sacrum qualis est ipsa Ecclesia, vel cæmeterium effundatur, vel verò, ut videre est apud Pat. Gob. Theol. exper. tr. 3. n. 848. Ablutio hæc immergatur purificatorio, illudque postea suspendatur ad exicandum.

§. Missæ matut. Rorat. dictæ ferè ubique dicuntur per tot. Advent. de Rorate cum Gl. & Cr. un. or. Præf. B. M. V. *Et te invenerat.* cui praxi se DD. Sacerdotes accommodare possunt.

IN-

# INDEX FESTORUM

Diæcef. Aquil. à parte Imperij.

## DECEMBER.

2. S. Cromatij Episc. Conf. pag. 1.  
4. S. Barbaræ V. M. ibid.  
9. S. Syri Episc. Conf. 4.  
18. Expectatio B. M. V. inter Festa nova  
pag 9.  
25. S. Anastasiæ V. M. ibid.  
27 S. Zoili Conf. 5.  
30. S. Nicephori M. ibid.

## JANUARIUS.

- 11 S. Paulini Episc. Conf. ibid.  
16 S. Tatiani Epif Conf. ibid.  
22. Ss. Vincentij & Anast MM. ibid.  
23. Desponsat. B. M. V. inter Festa nova  
pag 37.  
29 S. Juliani Conf. ibid.  
31. Translat. S. Marci Evang. 7.

## FEBRUARIUS.

3. S. Blasij Episc. M. 7.  
8 S. Juventij Episc. Conf. ibid.  
16. Ss. Chryfantiani & Soc. MM. 8.  
Eâdem S. Julianæ V. M. ibid.

## MARTIUS.

3. Ss. Agapæ & Soc. VV. MM. 8.  
16. Ss. Hilarij & Tatiani MM. ibid.  
24. S. Gabrielis Arch. inter Festa nov. 71.  
De Septem Doloribus 85.

## APRILIS.

- De Clavis, & Lancea Domini inter Festa  
nova 89.

2. S. Abundij Episc. Conf.	9.
12. S. Zenonis Episc. M.	ibid.
17. S. Liberalis Conf.	ibid.
24. Inventio Corp. Ss. Cancij &c.	10.

### M A J U S.

2. S. Sigismundi M.	10.
14. Ss. Victoris, & Coronæ MM.	ibid.
16. S. Maximæ V.	11.
S. Joannis Nepomuceni M. inter Festa nova	121.
29. S. Maximi Episc. M.	11.
31. Ss. Cancij & Soc. MM.	ibid.

### J U N I U S.

4. S. Quitini Episc. M.	15.
9. Ss. Primi & Felic. MM.	ibid.
11. Ss. Felicis & Fortun. MM.	17.
14. S. Prothi M.	18.
15. Ss. Viti & Soc. MM.	ibid.
17. Ss. Ciricæ & Muscæ VV. MM.	20.
19. S. Nazarij Episc. Conf.	ibid.
Ss. Gervasij & Proth. MM.	21.
21. S. Aloysij Conf. inter Festa nov.	240.
22. S. Niceæ Patriar. Conf.	22.
Ss. Achatij & Soc. MM.	ibid.
26. S. Vigilij Episc. M.	23.

### J U L I U S.

2. Ss. Processi, & Martin. MM.	23.
4. S. Udalrici Episc. Conf.	42.
10. Septem Frat. MM.	ibid.
11. S. Pij Pap. M.	ibid.
Vigilia Ss. Hermag. & Fort. MM.	25.
12. Ss. Hermag. & Fort. MM.	26.

13. Dedicat. Eccl. Metrop. Aquil.	29.
15. Divisio Apostol.	30.
S. Henrici Conf.	33.
19. Octava Ss. Hermag. & Fort.	ibid.
20. S. Margaritæ V. M.	37.
24. S. Christinæ V. M.	ibid.
25. S. Christophori M.	ibid.
27. S. Pantaleonis M.	38.

### AUGUSTUS.

3. Inventio S. Stephani	38.
13. Ss. Hyppoliti & Cassiani MM.	ibid.
16. S. Rochi Conf.	ibid.
18. S. Agapiti M.	ibid.
19. S. Ludovici Tolos. Ep. Conf. inter Festa nova.	152.
21. Ss. Donati & Soc. MM.	39.
23. Ss. Hermoginis & Fortun. MM.	ibid.
27. Transl. Ss. Hermag. & Fort. MM.	ibid.
28. S. Pelagij M.	40.
S. Danielis Proph. Conf.	ibid.
30. S. Juliani M.	ibid.

### SEPTEMBER.

Dom. 1. Sept. Ss. Angel. Custod.	40.
1. S. Ægidij Abb.	ibid.
3. Ss. Euphemix & Soc. VV. MM.	41.
4. S. Rosaliæ V. inter Festa nov.	158.
Dom. 2. Sept. Octav. Ss. Ang. inter Festa nova.	182.
13. Septem Dormientium MM.	45.
Dom. 3. Sept. Sept. Dolor. B. M. V. inter Festa nova pag.	184.
26. S. Gerardi Episc. M.	45.

OCTOBER.

6. S. Fidei V. M.	46.
7. S. Justinæ V. M.	ibid.
S. Marci Pap. Conf.	ibid.
10. S. Gereonis & Soc. MM.	47.
21. S. Ursulæ & Soc. VV. MM.	49.
31. S. Wolfgangi Episc. Conf. inter Festa nova pag.	203.

NOVEMBER.

3 vel 2. S. Justi M.	49.
6. S. Leonardi Conf.	25.
7. S. Prosdocimi Episc. Conf.	ibid.
8. Quatuor Coronat. MM.	54.
11. S. Mennæ M.	55.
14. Patrocini B. M. V.	ibid.
22. S. Mauri Mart.	ibid.
23. S. Felicitatis Mart.	56.
24. S. Chryfogni M. <i>Jan. à Cruce</i>	ibid.
27. S. Valeriani Episc. Conf. <i>in fine</i>	58.
Suffragia in hac Diæc. dici solita	ibid.
Casus reservati in hac Diæc.	

Observanda circa festum S. Georgij.

    Circa festum S. Margaritæ.

    Circa purificat. calic. in missis Nativ.  
    Domini.

    Circa missas Rorate.

FINIS.

SUPPLEMENTUM  
BREVIARII

SEU  
OFFICIA NOVA,

Quæ ab anno 1700. usque modo indulta & Romano Breviario incorporata sunt, utpote spectantia ad universalem Ecclesiam, & in quacunque Diœcesi dicenda.

Ad usum omnium, qui ad horas Canonicas tenentur,

*Ut hoc*

SUPPLEMENTO

Provisi uniformiter Divinum Officium persolvere queant, & ne de novis Breviarijs sibi providere cogantur.

*Cum Licentia Superiorum.*

---

Labaci, Typis Adami Frid. Reichhardt,  
Incl. Prov. Carn. Typ. 1738.



# Precatio.

*A. S. Ambrosio Concionaturo pronunciari  
solita.*

**O**bscuro Domine, & suppliciter rogo, da mihi semper humilem scientiam, quæ ædificet, da mitissimam, & sapientem eloquentiam, quæ nesciat inflari, & de suis bonis semper fratres extolli. Pone quæso in ore meo verbum consolationis, & ædificationis, & exhortationis per Spiritum S. tuum, ut bonos ad meliora possim exhortari, & eos, qui perversè gradiuntur, ad tuæ rectitudinis lineam valeam revocare verbo & exemplo. Sint verba, quæ dederis sermo tuo tamquam acutissima jacula, & ardentes sagittæ, quæ penetrent, & incendant mentes audientium ad timorem & amorem tuum.

*Ex Bernardino Ferrar. de ritu sacrarum  
veteris Ecclesiæ concionum. l. I. c. 9.*

*Clemens PP. XIII. recitantibus orat. sequentem concessit remiss. omn. commissorum, sive omissor. in missa, nec non 2300. annor. indulg.*

Obscuro dulcissime Dñe JEsu Christe, ut passio tua sit mihi virtus, qua muniar, atque defendar, vulnera tua sint mihi cibus, potúsque, quibus pascar, inebrier, at, que delecter, aspersio sanguinis tui sit mihi ablutio omnium delictorum meorum, mors tua sit mihi gloria sempiterna. In his sit mihi refectio, exultatio, sanitas, & dulcedo cordis mei. Qui vivis, & regnas &c.

# INDEX

Festorum novorum, & Imperialium.

## DECEMBER.

4. S. Petri Chrysol. Ep. Conf.	pag. 1.
10. S. Eusebij Ep. Vercel. M.	5.
18. Expectat. B. M. V.	9.

## JANUARIUS.

Dom. 2. post Epiph. Ss. Nom. Jesu.	21.
23. Desponsat. B.M.V. cum S. Joseph	37.

## FEBRUARIUS.

10. S. Scholasticæ Virg.	47.
--------------------------	-----

## MARTIUS.

8. S. Joan. de Deo	51.
19. S. Joseph Sponsi B.M.V.	57.
24. S. Gabrielis Archang.	71.
Fer. vi. post Dom. Passionis Septem Dolorum B.M.V.	85.

## APRILIS.

Fer. 6. post Dom. in Albis de Clavis & Lancea Domini	98.
4. S. Isidori Ep. Conf. Doct.	111.

## MAYUS.

5. S. Pij quinti Pap. Conf.	118.
16. S. Joan. Nepomuc. M.	121.
Eadem S. Ubaldi Ep. Conf.	126.
25. S. Gregorij Pap. Conf.	129.

## JUNIUS.

12. S. Joan. à S. Facundo Conf.	132.
19. S. Julianæ de Falconerijs Virg.	136.
21. S. Aloysij Conf.	140.

## JULIUS.

- |                                  |       |
|----------------------------------|-------|
| 15. S. Henrici Conf.             | 145.  |
| 16. B.M.V. de Monte Carmelo      | ibid. |
| 19. S. Vincentij à Paulo Conf.   | 148.  |
| 23. Commem. S. Liborij Ep. Conf. | 152.  |

## AUGUSTUS.

- |                                  |      |
|----------------------------------|------|
| 19. S. Ludovici Tolos. Ep. Conf. | 152. |
| 30. S. Rosæ Limanæ Virg.         | 155. |

## SEPTEMBER.

- |   |       |
|---|-------|
| Dom. 1. Sept. Ss. Angelor. Cust.                            | 158.  |
| 4. S. Rosaliæ Virg.   | ibid. |
| Lectioes in 2. & 3. noct. infr. oct.<br>Ss. Angelor. Cust.  | 161.  |
| Dom. 2. Sept. oct. Ss. Ang. Cust.                           | 182.  |
| Dom. 3. Sept. festum Titulare Ar-<br>chi-Confrat. 7. Dolor. | 184.  |

## OCTOBER.

- |                                     |       |
|-------------------------------------|-------|
| Dom. 1. Octobr. fest. Rosar. B.M.V. | 197.  |
| 17. S. Hedwigis Viduæ               | 201.  |
| 21. Ss. Ursulæ & Soc. VV. MM.       | ibid. |
| 31. S. Wolfgangi Ep. Conf.          | 203.  |

## NOVEMBER.

- |   |       |
|---|-------|
| 9. In festo Salvat. quæ addi debeant<br>Lectioes sextæ. | 206.  |
| 10. S. Andreæ Avel. Conf.                               | ibid. |
| 17. S. Gertrudis Virg.                                  | 210.  |
| Offic. votivum de Ss. Sacram. quo-<br>modo dicendum.    | 211.  |
| Offic. de Iñac. Concept. B.M.V.                         | 212.  |
| Appendix.   |       |
| S. Floriani pro locis ubi concess.                      | 214.  |



---

# OFFICIA

Festorum ab Anno 1700. usque annum  
1738. noviter concessorum spectantium ad  
universalem Ecclesiam.

Quibus annexa sunt festa pro terris Cæsa-  
reis, seu à parte Imperij singulariter  
concessa.

---

*Sumitur initium à Decembri ad normam  
Breviarij Romani.*

FESTA Decembris.

4. S. Petri Chryfologi Episc. Conf. Duplex  
ex Decr. Bened. XII. 10. Febr. 1729.

*Omnia de com. Conf. Pont. præter sequentia.  
In hymno dicit. Meruit supremos.*

*Ad Magnif. in utrisq. vesp. Ant. O Do-  
ctor optime Ecclesiæ sanctæ lumen beate  
Petre Chryfologe, Divinæ legis amator  
deprecare pro nobis Filium DEI.*

ORATIO.

**D**Eus, qui B. Petrum Chryfologum  
Doctorem egregium divinitus præ-  
monstratum ad regendam & instruendam  
Ecclesiam tuam eligi voluisti: præsta quæ-  
sumus, ut quem Doctorem vitæ habuimus  
in terris, intercessorem habere mereamur  
in cælis. Per Dominum.

*Com. fer. in utrisq. vesp. & laud.*

In I. Noct.

**Leçt.** Fidelis sermo &c.

**P**etrus, qui ob auream ejus eloquentiam Chryfologi cognomen adeptus est, Foro Cornelii in Æmilia honestis parentibus natus, à prima ætate animum ad Religionem adjiciens, Cornelio Romano tunc ejusdem Urbis Corneliensis Episcopo, operam dedit: à quo etiam scientia, & vitæ sanctitate cùm brevì profecisset, Diaconus creatus est. Postmodùm contigit, ut Ravennates ob mortem Archi-Præfulis sui alium ( ut moris erat ) ab eis electum Romam ad S. Sixtum Papam Tertium pro confirmatione miserint unà cum Legatis suis, & cum prædicto Cornelio, qui eundem Levitam secum perduxit. Interim S. Petrus Apostolus, & Martyr Apollinaris Summo Pontifici in somnis apparuerunt, mediúmque habentes hunc Juvenem, jusserunt, ut illum, & non alium, in Archiepiscopum Ravennæ crearet. Hinc Pontifex, mox ut vidit Petrum, cognovit eum à Domino Deo præelectum: propterea rejecto illo, quem ipsi offerebant, hunc solum, Anno Christi quadringentesimo trigésimo tertio, illi Metropolitanæ præfecit Ecclesiæ. Quod cum Legati Ravennates ægrè ferrent, audita visione, Divinæ voluntati libenter acquiescentes, novum Archiepiscopum maxima cum reverentia susceperunt.

**R** Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum: \* Manus enim mea auxiliabitur ei.

**Y.** Nihil proficiet inimicus in eo, & filius iniquitatis non nocebit ei. Manus &c.

*Lectio. v.*

**P**etrus igitur, licet invitus in Archipræsulem consecratus Ravennam deducitur: ubi à Valentiniano Imperatore, & Galla Placidia ejus Matre, ac ab universo Populo maxima lætitia exceptus est. Et ille ab eis id unum petere dixit, ut quando tantum oneris pro ipsorum salute subire non recusavit, studerent ipsi monitis suis obtemperare, Divinisque præceptis non obsistere. Duorum Sanctorum tunc ibi Defunctorum corpora, optimis unguentis condita sepelivit, Barbatiani videlicet Presbyteri, & Germani Antisiodorensis Episcopi; cujus etiam cucullam, & cilicium sibi vendicavit in hæreditatem. Projectum, & Marcellinum in Episcopos ordinavit. In Classe fontem extruxit magnitudinis verè admirabilis, & templa quædam magnifica ædificavit tum B. Andreae Apostolo, tum aliis Sanctis. Ludos ab hominibus personatis cum variis saltationibus Calendis Januarii fieri solitos concione cohibuit acerrima; ubi inter alia illud præclarè dixit: Qui jocari voluerit cum diabolo, non poterit gaudere cum Christo.

nis Papæ Primi scripsit postea ad Chalcedonense Concilium adversus hæresim Eutychetis. Respondit præterea ad Eutychen ipsum & alia Epistola, quæ eidem Concilio in novis editionibus præfixa, & in *Annales Ecclesiasticos* relata fuit.

**R.** Posui adjutorium super potentem, & exaltavi electum de plebe mea: \* Manus enim mea auxiliabitur ei.

**Y.** Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum. Manus enim &c.

*Lectio vi.*

**D**Um publicè Sermones haberet ad populum, adeò vehemens erat in dicendo, ut præ nimio ardore vox illi interdum defecerit: sicut contigit in concione mulieris Hemorrhoißæ. Unde Ravennates commoti, tot lacrymis, clamoribus, & orationibus locum repleverunt: ut postea ipse gratias ageret Deo, quod in lucrum amoris verterit damnum ejusdem sermonis. Cùm tandem annos circiter decem, & octo eam Ecclesiam sanctissimè rexisset, laborū suorum finem adesse divinitus prænoscent, in Patriam se contulit. Ubi Sancti Cassiani Templum ingressus, magnum diadema aureum, gemmis distinctum pretiosissimis offerens, super Altare majus posuit, nec non aureum craterem, & patenam argenteam, quam tum rabidi Canis morsus, tum febres sanare sæpius expertum est, aqua inde

inde demissa. Ex tunc Ravennates, qui eundem secuti fuerant, dimisit, admonens, ut in eligendo optimo Pastore invigilarent attentè. Mox Deum humiliter precatus, & S. Cassianum Patronum, ut benignè animam ejus exciperet, tertio nonas Decembris placidè ex hac vita migravit, Anno Domini circiter quadringentesimo quinquagesimo. Sacrum illius Corpus communi totius Civitatis fletu, ac pietate, propè Corpus ejusdem sancti Cassiani honorificè conditum nostris etiam temporibus religiosè colitur, cujus tamen brachium, auro, & gemmis ornatum Ravennam delatum in Ursiana Æde veneratur.

℞. Iste est, qui ante Deum magnas virtutes operatus est, & omnis terra doctrina ejus repleta est: \* Ipse intercedat pro peccatis omnium populorum.

℣. Iste est, qui contempnit vitam mundi, & pervenit ad cœlestia regna. Ipse intercedat &c.

Gloria Patri &c. Ipse intercedat. &c.

In III. Noct.

*Homilia S. Augustini Ep. in Evang. Vos estis sal terræ. de comm. Doct.*

16. Decembris.

In Festo S. EUSEBIJ Episc. Vercel. Mart.

Semid. ex Decr. Bened. XIII. 7. Jul. 1728.

*Omnia de com. unius Mart. præter sequentia.*

Orat. Deus, qui nos. de eod. com.



Com. fer. Adv. in vesp. & laud.

Lect. I. Noct. de scrip. occur.

Si incidat in aliq. feriam quat. temp. Lect. I.

Noct. A Mileto. de com. un. Mart.

In II. Noct. Lectio iv.

**E**usebius natione Sardinus, Romanæ Urbis Lector, post Vercellensis Episcopus, ad hanc regendam Ecclesiam meritò est creditus Divino electus iudicio; nam quem nunquam ante constituti Electores cognoverant, posthabitis civibus, simul ut viderunt, & probaverunt, tantùmque interfuit, ut probaretur, quantum ut videretur. Primus in Occidentis partibus in eadem Ecclesia eosdem Monachos instituit esse, quos Clericos, ut esset in ipsis viris & contemptus rerum, & accuratio Levitarum. Arianis impietatibus ea tempestate per Occidentem longè, latèque traductis, adversùs eos viriliter sic dimicavit, ut eius invicta fides Liberium Summum Pontificem ad vitæ solatium erigeret. Quare hic sciens, in ipso fervere Spiritum Dei, cùm ei significasset, ut penes Imperatorem unà cum suis legatis patrocinium Fidei susciperet, mox cum illis profectus est ad Constantium, apud quem enixiùs agens, quidquid legatione petebatur, obtinuit, ut Episcoporum nempè cœtus celebraretur.

& Honestum fecit illum Dominus, & custodivit eum ab inimicis, & à seducto-  
bus

bus tutavit illum : \* & dedit illi claritatem æternam.

¶ Descenditque cum illo in foveam : & in vinculis non dereliquit eum. Et dedit.

*Lectio v.*

**C**ollectum est Mediolani anno sequenti Concilium, ad quod à Constantio invitatum Eusebium, concupitumque, ac vocatum à Liberii legatis, tantum abest, ut malignantium Synagoga Arianorum contra S. Athanasium furentium in suas partes adduceret, ut potiùs disertè statim ipse declarans, è præsentibus quosdam sibi compertos hæretica labe pollutos, Nicænam inò fidem proposuerit iis subscribendam, antequàm cætera tractarentur : Quod Arianis acerbè iratis negantibus, nedùm in Athanasium recusavit ipse subscribere, quin S. Dionysii Martyris, qui deceptus ab ipsis subscripserat, captivatam simplicitatem ingeniosissimè liberavit ; quamobrem illi graviter indignantes, post multas illatas injurias, exilio illum mulcârunt ; sed Sanctus vir excusso pulvere, nec Cæsaris minas veritus, nec enses obstrictos, exilium veluti sui ministerii officium accepit, missusque Scythopolim, famem, sitim, verbera, diversaque supplicia perpessus, pro fide strenuè vitam contempsit, mortem non metuit, corpus carnificibus tradidit.

R. Desiderium animæ ejus tribuisti ei Domine: \* Et voluntate labiorum ejus non fraudasti eum.

Y. Quoniam prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis: posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso. Et voluntate.

*Lectio vi.*

**Q**UANTA in eum tunc Arianorum crudelitas fuerit, ac effrons inverecundia, ostendunt graves litteræ plenæ roboris, pietatis, ac religionis, quas è Scythopoli scripsit ad Vercellensem Clerum, & populum, aliósq; finitimos, è quibus etiam est exploratum, ipsorum nec minis, inhumanáque sævitiâ potuisse unquam eum deterrerri, nec serpentina blanda subtilitate ad eorum societatem perducí. Hinc in Cappadociam, postremóque ad superiores Ægypti Thebaidas pro constantia sua deportatus, exilii rigores tulit ad mortem usque Constantii, post quem ad gregem suum reverti permissus, non prius redire voluit, quàm reparandis fidei jaçturis ad Alexandrinam Synodum sese conferret, póstque Medici præstantis instar peragrans Orientis provincias in fide infirmos ad integram valetudinem restitueret, eos instituens in Ecclesiæ doctrina. Inde salubritate pari digresso in Illiricum, tandémque, in Italiam delato, ad ejus reditum lugubres vestes Italia mutavit, ubi postquam Psalmorum omnium

nium expurgatos à se coñmentarios Origenis edidit, Eusebiique Cæsareensis, quos verterat de Græco in Latinum, demùm tot egregiè factis illustribus ad inmarcescibilem gloriæ coronam tantis ærumnis promeritam sub Valentiniano, & Valente, Vercellis migravit.

*R.* Stola jucunditatis induit eum Dominus: \* Et coronam pulchritudinis posuit super caput ejus.

*V.* Cibavit illum Dominus pane vitæ & intellectus, & aqua sapientiæ salutaris potavit illū. Et coronam. *Glor. Pat. Et coronam.*

In III. Nocturno.

*Homilia Sancti Gregorii Pap. in Evang. Si quis vult. ut in com. un. Mart. secundo loc.*

*R.* VIII. Domine prævenisti.

---

18. *Decembris.*

In Festo EXPECTATIONIS B. M. V.

Duplex Majus.

*Ad Vesperas Antiphona.*

Missus est Gabriel Angelus *cum reliquis de Laudibus. Psalmi.* Dixit Dominus. Laudate pueri. Lætatus sum. Nisi Dominus. Lauda Jerusalem, *ut in Offic. par. B. M. V.*

*Capitulum. Isa. II.*

**E**Gredietur Virga de radice Jesse, & flos de radice ejus ascendet. Et requiescet super eum Spiritus Domini.

10 18. Decemb. in festo

*Hymnus.* Creator alme siderum. *ut in prim. vesp. Dominicæ I. Advent.*

*Et in fine omn. bymn. dicit.*

Virtus, honor, laus, gloria

Deo Patri, cum Filio,

Sancto simul Paraclito,

In sæculorum sæcula. Amen.

✠. Ave Maria, gratia plena.

✠. Dominus tecum.

*Ad Magnif. Antiph.*

Spiritus S. in te descendet Maria, ne timeas : habebis in utero Filium Dei , Allel.

*Oratio.*

**D**Eus, qui de B. Mariæ Virginis utero, Verbum tuum, Angelo nuntiante, carnem suscipere voluisti : præsta supplicibus tuis ; ut qui verè eam Genitricem Dei credimus, ejus apud te intercessionibus adjuvemur. Per eundem Dominum.

*Et sit cõmem. Advent. Antiph. O.*

*Ad Matut. Invitat.*

Ave Maria, gratia plena : \* Dominus tecum. *Psalms.* Venite. *Hymn.* Verbum supernum. *ut in Dominica I. Adventus.*

*In I. Noct. Antiph.*

Ecce Dominus noster cum virtute veniet, & illuminabit oculos servorum suorū, allel.

*Psal.* Domine Dominus noster. *ex offic. parvo B. M. V.*

*Antiph.* Rorate cœli desuper, & nubes pluant justū : aperiatur terra, & germinet Salvatorem. *Psal.* Cœli enarrant. An-

*Antiph.* Ecce nomen Domini de longinquo: & claritas ejus replet orbem terrarum.

*Psal.* Domini est terra.

*Y.* Ex Sion species decoris ejus.

*R.* Deus noster manifestè veniet.

De Isaja Proph. *Lect. i. Cap. 7.*

**E**T adjecit Dominus loqui ad Achaz, dicens: Pete tibi signum à Domino Deo tuo in profundum inferni, sive in excelsum supra. Et dixit Achaz: Non petam, & non tentabo Dominum. Et dixit: audite ergo domus David: numquid parum vobis est, molestos esse hominibus, quia molesti estis & Deo meo? propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum. Ecce virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Eñmanuel. Butyrum & mel comedet, ut sciat reprobare malum, & eligere bonum.

*R.* Non auferetur sceptrum de Juda, & dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est: \* Et ipse erit expectatio Gentium. *Y.* Pulchriores sunt oculi ejus vino: & dentes ejus lacte candidiores. Et ipse.

*Lect. ii. Cap. II.*

**E**T egredietur Virga de radice Jesse, & flos de radice ejus ascendet. Et requiescet super eum Spiritus Domini; Spiritus sapientiæ & intellectus, Spiritus consilij & fortitudinis, spiritus scientiæ & pietatis: & replebit eum spiritus timoris Do-

mini. Non secundum visionem oculorum iudicabit, neque secundum auditum aurium arguet: sed iudicabit in iustitia pauperes: & arguet in æquitate pro mansuetis terræ: & percutiet terram virga oris sui: & spiritu labiorum suorum interficiet impium. Et erit iustitia cingulum lumborum ejus: & fides cinctorium renum ejus.

*R.* Orietur stella ex Jacob: & confurget homo de Israël, & confringet omnes duces alienigenarum: \* Et erit omnis terra possessio ejus. *Y.* De Jacob, erit qui dominabitur, & perdet reliquias civitatis. Et erit.

*Lect. iii. Cap. 35.*

**L**ætabitur deserta & invia, & exultabit solitudo, & florebit quasi lilium. Germinans germinabit, & exultabit lætabunda & laudans: gloria Libani data est ei: decor Carmeli, & Saron: ipsi videbunt gloriam Domini, & decorem Dei nostri. Confortate manus dissolutas, & genua debilia roborate. Dicite pusillanimis: Confortamini, & nolite timere: ecce Deus vester ultionem adducet retributionis: Deus ipse veniet, & salvabit vos. Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt. Tunc saliet sicut cervus claudus, & aperta erit lingua mutorum: quia scissæ sunt in deserto aquæ, & torrentes in solitudine. Et quæ erat arida, erit in stagnum, & sitiens in fontes aquarum.

**R.** Descendet Dominus sicut pluvia in vellus: orietur in diebus ejus justitia, \* Et abundantia pacis. **Y.** Et adorabunt eum omnes reges: omnes Gentes servient ei. Et. Gloria Pat. Et.

*In II. Noct. Antiph.*

De Sion exhibit rex, & verbum Domini de Jerusalem. *Pf.* Eructavit. *Ex off. par. B. M.*

*Antiph.* Ecce Deus noster expectavimus eum, & salvabit nos allel. *Psalms.* Deus noster. *Antiph.* Dominus veniet occurrite illi, dicentes: Magnum principium; & regni ejus non erit finis, Deus, Fortis, Dominator, Princeps pacis, alleluja.

*Psalms.* Magnus Dominus. *ex 2. noct. de com. Virg.*

**Y.** Egredietur virga de radice Jesse.

**R.** Et flos de radice ejus ascendet.

Sermo S. Ildefonsi Archiepiscopi  
Toletani.

*Ex lib. de virginit. B. M. Lect. iv.*

**D**omina mea, atque dominatrix mea, dominans mihi, mater Domini mei, ancilla Filii tui, genitrix Factoris mundi, te rogo, te oro, te quaeso, ut habeam spiritum Domini tui, spiritumque Filii tui, nec non & spiritum Redemptoris mei, ut de te vera & digna sapiam, vera & digna loquar, vera & digna quaecunque sunt, diligam. Tu enim es electa à Deo, assumpta à Deo, advocata à Deo, proxima Deo,



adhærens Deo, conjuncta Deo: visitata ab Angelo, salutata ab Angelo, benedicta ab Angelo, beatificata ab Angelo: turbata in sermone, attonita in cogitatione, stupefacta in salutatione, admirata in dictorum anuntiatione.

R. Ecce Virgo concipiet, & pariet Filium, dicit Dominus: \* Et vocabitur nomen ejus Admirabilis, Deus, Fortis.

Y. Super folium David, & super regnum ejus sedebit in æternum. Et.

*Lectio v.*

**I**Nvenisse te apud Deum gratiam audis, & ne timeas, juberis. Unde & tu fiducia roboraris, cognitione miraculorum instrueris, ad novitatem inauditæ gloriæ proveheris. De prole ab Angelo nuntiata es; & post fœtum integra, & pudica manes. Certa virginitas nobis proponitur, & nasciturum ex te sanctum Dei Filium, tibi ab Angelo evangelizatur: & quæ sit nascentis Regis potentia, mirabiliter intimatur. Quomodo fiat, quæris, de origine interrogas, de ratione perscrutaris, de experientia requiris, de ordine sciscitaris. Audi inauditum oraculum, considera inusitatū opus, animadvertite incognitum arcanum, attende invisum factum, Spiritus S. superveniet in te, & virtus Altissimi abumbrabit tibi.

R. Rorate cæli desuper, & nubes pluant justum: \* Aperiatu terra, & germinet Salvatorem.

Y. Emit-

✠. Emitte agnum Domine Dominatorem terræ, de Petra deserti ad montem filiæ Sion. Aperiatur.

*Lectio vi.*

**T**Ota invisibiliter Trinitas conceptionem operabitur in te: sola persona Filii Dei in corpore tuo nascitura carnem assumet de te. Ideoque quod concipietur ex te, quod nascetur ex te, quod prodiet ex te, quod germinabitur ex te, quod parturietur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei. Erit enim hic magnus, hic Deus virtutum, hic Rex omnium sæculorum, hic factor omnium rerum. Ecce beata tu inter mulieres, integra inter puerperas, Domina inter ancillas, Regina inter sorores. Ecce ex hoc beatam te dicent omnes generationes, beatam te noverunt omnes cœlestes Virtutes, beatam te prædicant omnes Vates, beatam te celebrant omnes Nationes. Beata tu fidei nostræ, beata tu animæ nostræ, beata dilectioni nostræ, beata præconiis, & prædicationibus meis.

℞. Docebit nos Dominus vias suas, & ambulabimus in semitis ejus: \* Quia de Sion exhibit lex, & verbum Domini de Jerusalem. ✠. Venite, ascendamus ad montem Domini, ad domum Dei Jacob. Quia. Gloria Patri. Quia.

*In III. Nocturno, Antiphona.*

Dominus dabit benignitatem, & terra nostra dabit fructum suum. *Psal.*

*Pfal.* Benedixisti. ex Matut. fer. 6.

*Antiph.* Ecce veniet Deus, & homo de domo David sedere in throno, alleluja.

*Psalms.* Fundamenta. ex 2. noct. officij parvi

*B. M. V. Antiph.* Annuntiate populis, & dicite: Ecce Deus Salvator noster veniet.

*Psalms.* Cantate. ex offic. parv. iii. noct.

*Y.* Egredietur Dominus de loco sancto suo.

*R.* Veniet ut salvet populum suum.

*Si hoc festum venerit in Feria iv. Quat. Temp. Advent. loco sequentis homil. leguntur tres lect. homil. ejusdem Ferie iv. cum Responsoriis, quæ hic assignantur.*

Lectio S. Evangelii secundum Lucam.

Lectio vii. Cap. I.

**I**N illo tempore: Missus est Angelus Gabriel à Deo in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David, & nomen virginis Maria. Et reliq.

Homil. venerab. Bedæ Presbit.

*In Evang. Lucæ cap. 1. & in Homiliis hiemalib. de temp. fer. iv. quat. temp. mens. Dec.*

**A**D Mariam Virginem Gabriel mittitur, qui Dei fortitudo nominatur: illum quippe nuntiare veniebat, qui ad debellandas aereas potestates humilis apparere dignatus est. De quo per Psalmistam dicitur: Dominus fortis & potens, Dominus potens in prælio. Et rursus: Dominus virtutum ipse est Rex gloriæ. Per Dei  
ergo

ergo fortitudinem nuntiandus erat, qui virtutum Dominus, & potens in prælio, contra potestates aereas ad bella veniebat. Et ingressus Angelus ad eam, dixit: Ave gratia plena, Dominus tecum: Benedicta tu in mulieribus. Benè gratia plena vocatur, quæ nimirum gratiam, quam nulla alia meruerat, assequitur: ut ipsum videlicet gratiæ concipiat, & generet auctorem.

℞. Ave Maria gratia, plena Dominus tecum: \* Spiritus S. superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi: quod enim ex te nascetur Sanctum, vocabitur Filius Dei. ℥. Quomodo fiet istud; quoniam virum non cognosco? Et respondens Angelus, dixit ei: Spiritus.

*Lectio viii.*

**E**Cce concipies in utero, & paries Filium, & vocabis nomen ejus Jesum. Jesus, Salvator sive salutaris interpretatur: cujus sacramentum nominis alloquens Joseph Angelus exposuit: Ipse enim (inquiens) salvum faciet populum suum à peccatis eorum. Non ait populum Israel, sed populum suum; hoc est, in unitatem fidei ex præputio, & circumcissione vocatum: quibus ex diversa parte vocatis, fieret unus pastor, & unum ovile. Hic erit magnus, & Filius Altissimi vocabitur: & dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus. Idem ergo Filius Altissimi, qui in u-

tero virginali conceptus, & natus est. Idem homo in tempore creatus ex matre, qui Deus est ante tempora natus ex Patre. Si autem idem homo, qui Deus est; omitat Nestorius, hominem tantum dicere ex Virgine natum.

℞. Suscipe verbum virgo Maria, quod tibi à Domino per Angelum transmissum est: concipies, & paries Deum pariter & hominem: \* Ut benedicta dicaris inter omnes mulieres. ✠. Paries quidem filium, & virginitatis non patieris detrimentum: efficiaris gravida, & eris mater semper intacta. Ut benedicta. Gloria Patri. Ut.

*Lectio ix.*

**I**Deoque & quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei. Ad distinctionem nostræ sanctitatis, Jesus sanctus singulariter nasciturus asseritur. Nos quippe, etsi sancti efficimur; non tamen nascimur, quia ipsa naturæ corruptionis conditione constringimur, ut merito cum Propheta gementes singuli dicamus. Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in delictis peperit me mater mea. Ille autem solus veraciter sanctus est, qui ut ipsam conditionem naturæ corruptibilis vinceret, excommixtione carnalis copulæ conceptus non est. Sanctum, inquit, vocabitur Filius Dei. Quid hic dicis Nestoriane, qui beatam Mariam Dei negans esse geni-

tricem, apertè niteris impugnare veritatem? Ecce Deum dixit superventurum, Dei Filium nasciturum. Quomodo ergo aut Dei Filius Deus non est, aut quæ Deum edidit, quomodo Theotocos, id est, Dei genitrix non esse potest? Te Deum.

*Ad Laudes, & per Horas Antiph.*

**M**issus est Gabriel Angelus ad Mariam Virginem desponsatam Joseph. *Ps.* Dominus regnavit. *cum reliq. de Dominica.*

*Antiph.* Ave Maria gratia plena: Dominus tecum: benedicta tu in mulieribus, allel.

*Antiph.* Ne timeas Maria, invenisti gratiam apud Dominum: ecce concipies, & paries filium, alleluja.

*Antiph.* Dabit ei Dominus sedem David patris ejus, & regnabit in æternum.

*Antiph.* Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.

*Capitulum*

*Isa. II.*

**E**gredietur Virga de radice Jesse, & flos de radice ejus ascendet. Et requiescet super eum Spiritus Domini.

*Hymnus.* En clara vox. *ut in Laudibus Dominicæ I. Advent.*

*V.* Spiritus sanctus superveniet in te.

*R.* Et virtus Altissimi obumbrabit tibi.

*Ad Benedictus Antiph.*

Super folium David, & super regnum ejus sedebit in æternum. *Oratio.*

**D**EUS, qui de beatæ Mariæ Virginis ute-

u tero , Verbum tuum Angelo nuntian-  
te , carnem suscipere voluisti : præsta sup-  
plicibus tuis ; ut qui verè eam genitricem  
Dei credimus , ejus apud te intercessionibus  
adjuvemur. Per eundem Dominum.

*Deinde fit commemor. Ferie. Ad Prim. in*  
*R. brevi dic. V. Qui venturus es in mundū.*

*Ad Tertiam, Antiph. Ave Maria. Capit.*  
Egredietur. *R. breve.* Tu exurgens Domi-  
ne , \* Misereberis Sion. Tu exurgens.  
*V.* Quia tempus miserendi ejus, quia venit  
tempus. Misereberis. Gloria Patri. Tu  
exurgens. *V.* Rorate cœli desuper, & nu-  
bes pluant justum. *R.* Aperiatur terra, &  
germinet Salvatorem.

*Ad Sextam, Antiph. Ne timeas Maria.*  
*Capitulum. Isa. 7.*

**E**Cce Virgo concipiet, & pariet Filium,  
& vocabitur nomen ejus Emmanuel.  
Butyrum & mel comedet, ut sciat repro-  
bare malum, & eligere bonum.

*R. br.* Rorate cœli desuper, \* Et nubes  
pluant justum. Rorate. *V.* Aperiatur ter-  
ra, & germinet Salvatorem. Et nubes.

Gloria Patri. Rorate. *V.* Emitte Agnum  
Domine Dominatorem terræ. *R.* De Pe-  
tra deserti ad montem filiæ Sion.

*Ad Nonam, Antiph. Ecce ancilla Domini.*  
*Capitulum. Isa. 45.*

**R**orate cœli desuper, & nubes pluant  
ju-

justum, aperiatur terra, & germinet  
 Salvatorem, & justitia oriatur simul: ego  
 Dominus creavi eum.

*R. breve* Emitte Agnum Domine: \* Do-  
 minatorem terræ. Emitte. *ψ.* De petra  
 deserti ad montem filiæ Sion. Dominato-  
 rem. Gloria Patri. Emitte *ψ.* Spiritus fan-  
 ctus superveniet in te. *R.* Et virtus Altis-  
 simi obumbrabit tibi.

*In ii. Vesp. omnia dicuntur, ut in primis ;  
 præter v. Antiph. cujus loco dicit. sequens. De  
 fructu ventris tui ponam super sedem tu-  
 am. Ps. Memento Domine. ex Vesp. fer. v.*

*Ad Magnificat, Antiphona.*

O Virgo virginum, quomodo fiet istud:  
 quia nec primam similem visa es, nec ha-  
 bere sequentem? Filiæ Jerusalem, quid  
 me admiramini? Divinum est mysterium  
 hoc, quod cernitis. *Oratio.* Deus, qui de  
 beatæ, *ut supra.*

*Pro commem. Advent. Antiph. O.*

---

**FESTA** *Januarij.*

Dom. 2. post Epiphaniam.

In festo Ss. Nominis JESU dupl. 2. class.

Ex Concessione Innocentij XIII. 17. Jul.

1722. ad instantiam Cæsaris Caroli VI.

*Ad Vesperas Antiphona.*

Omnis qui invocaverit Nomen Domini  
 salvus erit. *Psalm.* Dixit Dominus. *Cum  
 reliquis de Dominica, & loco ultimi, Psalm.  
 Credidi propter quod locutus sum. An-*



*Antiph.* Sanctum, & terribile nomen ejus: initium Sapientiae timor Domini.

*Antiph.* Ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in Deo JESU meo.

*Antiph.* A solis ortu usque ad occasum, laudabile Nomen Domini.

*Antiph.* Sacrificabo hostiam laudis, & Nomen Domini invocabo.

*Capitulum.*

*Phil. 2.*

**F**RATRES Christus humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis; propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi Nomen, quod est super omne nomen: ut in Nomine JESU omne genuflectatur.

H Y M N U S.

**I**ESU dulcis memoria,  
 Dans vera cordi gaudia:  
 Sed super mel, & omnia,  
 Ejus dulcis praesentia.

Nil canitur suavius,  
 Nil auditur jucundius,  
 Nil cogitatur dulcius,  
 Quam JESUS DEI Filius.

JESU, spes poenitentibus,  
 Quam pius es petentibus!  
 Quam bonus te quaerentibus!  
 Sed quid inventientibus?

Nec lingua valet dicere,  
 Nec littera exprimere;  
 Expertus potest credere,  
 Quid sit Jesum diligere.

Sis

Sis JESU nostrum gaudium,  
 Qui es futurus præmium:  
 Sit nostra in te gloria,  
 Per cuncta semper sæcula. Amen.

℣. Sit Nomen Domini benedictum, Allel.

℞. Ex hoc nunc, & usque in sæculum. All-

*Ad Magnificat, Antiph.*

Fecit mihi magna qui potens est, & sanctum Nomen ejus, Alleluja.

*Oratio.*

**D**EUS, qui unigenitum Filium tuum constituisti humani generis Salvatorem, & JESUM vocari jussisti: concede propitius; ut cujus sanctum Nomen veneramur in terris, ejus quoque aspectu perfruemur in Cœlis. Per eundem Dominum.

*Deinde fit cōmem. Dominicæ 2. post Epiph.*

*Ad compl. & per hor. dici, in fine hym. dic.*

JESU tibi sit gloria, qui natus es de Virgine.

*Ad Matut. Invitat.*

Admirabile Nomen JESU, quod est super omne nomen, \* Venite adoremus.

*Psalms. Venite.*

H Y M N U S.

**J**ESU, Rex admirabilis,  
 Et triumphator nobilis,  
 Dulcedo ineffabilis,  
 Totus desiderabilis.

Quando cor nostrum visitas,  
 Tunc lucet ei veritas.  
 Mundi vilescit vanitas,  
 Et intus fervet charitas.

JE-

JESU dulcedo cordium,  
 Fons vivus, lumen mentium,  
 Excedens omne gaudium,  
 Et omne desiderium.

JESUM omnes agnoscite,  
 Amorem ejus poscite ;  
 JESUM ardentem quærite,  
 Quærendo inardescite.

Te nostra JESU vox sonet,  
 Nostri te mores exprimant,  
 Te corda nostra diligant,  
 Et nunc, & in perpetuum. Amen.

*In I. Nocturno Antiph.*

Domine Dominus noster, quàm admirabile est nomen tuum in universa terra !

*Psalms.* Domine Dominus noster. *Cum reliquis, ut in Officio parvo B. M. V. Psalm. verò iste incipitur à secundo versu. Quoniam elevata est.*

*Antiph.* In Nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & inferorum. *Psalms.* Cœli enarrant.

*Antiph.* Confitemini Domino, & invocate nomen ejus ; memorate, quoniam excelsum est nomen ejus.

*Psalms.* Domini est terra.

*V.* Propter nomen tuum Domine, propitiaberis peccato meo.

*R.* Multum est enim. *Pater noster.*

## De Actibus Apostolorum.

## Lectio i. Cap. 3.

**P**etrus autem & Joannes ascendebant in templum ad horam orationis nonam. Et quidam vir, qui erat claudus ex utero matris suæ, bajulabatur: quem ponebant quotidie ad portam templi, quæ dicitur Speciosa, ut peteret eleemosynam ab introeuntibus in templum. Is cum vidisset Petrum & Joannem incipientes introire in templum, rogabat ut eleemosynam acciperet. Intuens autem in eum Petrus cum Joanne, dixit: Respice in nos. At ille intendebat in eos, sperans se aliquid accepturum ab eis. Petrus autem dixit: Argentum & aurum non est mihi: quod autem habeo, hoc tibi do: In Nomine Jesu Christi Nazareni surge, & ambula. Et apprehensa manu ejus dextera, allevavit eum. Et protinus consolidatæ sunt bases ejus, & plantæ. Et exiliens stetit, & ambulabat: & intrauit cum illis in templum, ambulans, & exiliens, & laudans Deum.

℞. Ecce concipies, & paries filium, & vocabis nomen ejus Jesum: \* Ipse enim salvum faciet populum suum à peccatis eorum. ✠. Vocatum est nomen ejus Jesus, quod vocatum est ab Angelo, prius quam in utero conciperetur. Ipse enim.

**E**E vidit omnis populus eum ambulantem & laudantem Deum. Cognoscebant autem illum, quod ipse erat, qui ad eleemosynam sedebat ad speciosam portam templi: & impleti sunt stupore, & extasi in eo, quod contingerat illi. Cum teneret autem Petrum & Joannem, cucurrit omnis populus ad eos ad porticum, quæ appellatur Salomonis, stupentes. Videns autem Petrus, respondit ad populū: Viri Israëlitæ, quid miramini in hoc, aut nos quid intuemini, quasi nostra virtute, aut potestate fecerimus hunc ambulare? Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Jacob, Deus Patrum nostrorum glorificavit filium suum Jesum, quem vos quidem tradidistis, & negastis ante faciem Pilati, judicante illo dimitti. Vos autem sanctum & justum negastis, & petistis virum homicidam donari vobis: Auctorem verò vitæ interfecistis, quem Deus suscitavit à mortuis, cujus nos testes sumus. Et in fide nominis ejus hunc, quem vos vidistis & nostis, confirmavit nomen ejus: & fides quæ per eum est, dedit integram sanitatem istam in conspectu omnium vestrūm.

✠ Benedictum est nomen tuum, Deus Patrum nostrorum, qui cum iratus fueris, misericordiæ recordaberis: \* Et in tempore tribulationis peccata dimittis.

✠. Et.

✠. Et benedictum nomen majestatis  
 tuæ in æternum, qui facis mirabilia solus:  
 Et in tempore.

*Lectio iii. Cap. 4.*

**F**Actum est autem in crastinum, ut con-  
 gregarentur Principes eorum, & senio-  
 res, & Scribæ in Jerusalem, & Annas Prin-  
 ceps Sacerdotum, & Caiphas, & Joannes,  
 & Alexander, & quotquot erant de gene-  
 re Sacerdotali, & statuentes eos in medio,  
 interrogabant: In qua virtute, aut in quo  
 nomine fecistis hoc vos? Tunc repletus  
 Spiritu sancto Petrus, dixit ad eos: Princi-  
 pes populi, & seniores, audite: Si nos hodie  
 dijudicamur in beneficio hominis infirmi,  
 in quo iste salvus factus est, notum sit om-  
 nibus vobis, & omni plebi Israël: quia in  
 nomine Domini nostri Jesu Christi Naza-  
 reni, quem vos crucifixistis, quem Deus  
 suscitavit à mortuis, in hoc iste astat coram  
 vobis sanus. Hic est lapis, qui reprobatus  
 est à vobis ædificantibus, qui factus est in ca-  
 put anguli: & non est in alio aliquo salus.  
 Nec enim aliud nomen est sub cælo datum  
 hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.

℞. Laudabo nomen tuum assiduè, \* Et  
 collaudabo illud in confessione.

✠. Lætabor, & exultabo in te: psallam  
 nomini tuo, Altissime. Et collaudabo.  
 Gloria Patri. Et collaudabo.

In II. Nocturno. Antiph.

Memores erunt nominis tui Domine;  
in omni generatione, & generationem.

*Psalmus.* Eructavit.

*Antiph.* Magnificate Dominum mecum,  
& exaltemus nomen ejus in idipsum.

*Psalmus.* DEUS noster refugium.

*Antiph.* Omnes gentes, quascumque fe-  
cisti, venient & adorabunt coram te Do-  
mine, & glorificabunt nomen tuum.

*Psalmus.* Fundamenta ejus.

℣. Propter gloriam nominis tui Domi-  
ne libera nos. ℞. Et propitius peccatis no-  
stris propter nomen tuum. Pater noster.

Sermo S. Bernardi Abbatis.

*Sermone 15. super Cantica, circa medium.*

*Lectio iv.*

**N**ON otiosè Spiritus Sanctus nomen  
Sponsi oleo comparat, cùm ita doce-  
at, Sponsam ad Sponsum clamare: Oleum  
effusum nomen tuum. Oleum enim lucet,  
pascit, & ungit. Fovet ignem, nutrit car-  
nem, lenit dolorem: lux, cibus, medicina.  
Vide idem nunc & de Sponsi nomine: lu-  
cet prædicatum, pascit recogitatum, invo-  
tum lenit, & ungit. Et percurramus sin-  
gula. Unde putas in toto orbe tanta, &  
tam subita fidei lux, nisi de prædicato no-  
mine JESU? Nónne in hujus nominis luce  
Deus nos vocavit in admirabile lumen su-  
um, quibus illuminatis, & in lumine isto  
viden-

videntibus lumen, dicat meritò Paulus: Fuiſtis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino?

R. Sperent in te, qui noverunt nomen tuum: \* Quoniam non dereliquiſti quærentes te Domine.

Ÿ. Exurge Domine, adjuva nos, & libera nos propter nomen tuum. Quoniam.

Lectio v.

**H**Oc denique nomen coram Regibus, & Gentibus, & filiis Iſraël portare juſſus eſt idem Apoſtolus; & portabat nomen, tamquam lumen, & illuminabat patriam, & clamabat ubique: Nox præceſſit, dies autem appropinquavit. Abjiciamus ergò opera tenebrarum, & induamur arma lucis, ſicut in die honeſtè ambulemus. Et monſtrabat omnibus lucernam ſuper candelabrum, añuntians in omni loco JEſum, & hunc crucifixum. Quomodo lux iſta reſplenduit, ac perſtrinxit cunctorum intuentium oculos, quando de ore Petri, tamquam fulgur egrediens, claudi unius corporales plantas ſolidavit & baſes, multosque ſpiritualiter cæcos illuminavit? Numquid non ignem ſparſit, cùm ait: in Nomine J E S U Chriſti Nazareni ſurge, & ambula?

R. Confiteamur nomini tuo magno, \* Quoniam terribile, & ſanctum eſt.

Ÿ. Hi in curribus & hi in equis, nos autem



tem in nomine Domini Dei nostri invocabimus. Quoniam.

*Lectio vi.*

**N**EC tantum lux est nomen JESUS, sed est & cibus. An non toties confortaris, quoties recordaris? quid æquè mentem cogitantis impingat? quid ita exercitatos reparat sensus, virtutes roborat, vegetat mores bonos atque honestos, castas fovet affectiones? aridus est omnis animæ cibus, si non oleo isto infunditur. Insipidus est, si non hoc sale conditur. Si scribas, non sapit mihi, nisi legero ibi JESUM. Si disputes, aut conferas, non sapit mihi, nisi sonuerit ibi JESUS. JESUS mel in ore, in aure melos, in corde jubilus. Sed est & medicina. Tristatur aliquis nostrum? veniat in core ejus JESUS, & inde saliat in os. Et ecce ad exortum nominis lumen, nubium omne diffugit, redit serenum. Labitur quis in crimen? currit insuper ad laqueum mortis desperando? nonne si invocet nomen vitæ, confestim respirabit ad vitam?

*R.* Latentur omnes, qui sperant in te Domine, in æternum exultabunt, & habitabis in eis, & gloriabuntur in te, omnes,  
\* Quidiligunt nomen tuum.

*V.* Domine, in lumine vultus tui ambulabunt, & in nomine tuo exultabunt tota die. Qui. Gloria Patri. Qui.

In III. Nocturno, Antiph.

**C**Antate Domino, & benedicite nomini ejus: annuntiate de die in diem salutare ejus.

*Psalms.* Cantate Domino canticum novum: Cantate Domino omnis terra.

*Antiph.* Secundum nomen tuum Deus, sic & laus tua in fines terræ: justitia plena est dextera tua.

*Psalms.* Dominus regnavit, exultet terra.

*Antiph.* Cantate Deo, psalmum dicite nomini ejus: iter facite ei, qui ascendit super occasum, Dominus nomen illi.

*Psalms.* Cantate Domino canticum novum: quia mirabilia fecit.

*V.* Afferte Domino gloriam & honorem.

*R.* Afferte Domino gloriam nomini ejus.

Pater noster.

*Lectio vii. Cap. 26.*

**I**N illo tempore: Postquam consummati sunt dies octo, ut circumcideretur puer, vocatum est nomen ejus Iesus. Et reliq.

Homilia S. Bernardi Abbatis.

*Sermone I. de Circumcisione.*

**M**Agnum & mirabile Sacramentum. Circumciditur puer, & vocatur Iesus. Quid sibi vult ista connexio? Circumcisio nempe magis salvandi, quam Salvatoris esse videtur: & Salvatorem circumcidere potius decet, quam circumcidi. Sed agnosce mediatorem Dei & hominum, qui  
ab

ab ipso nativitatis suæ exordio Divinis humana sociat, ima summis. Nascitur ex muliere, sed cui fecunditatis fructus sic accedat, ut non decidat flos virginitatis: Pannis involvitur: sed panni ipsi Angelicis laudibus honorantur. Absconditur in præsepio: sed proditur radiante stella de cælo. Sic & circumcisio veritatem susceptæ probat humanitatis: & nomen, quod est super omne nomen, gloriam indicat majestatis. Circumciditur tanquam verus Abrahæ filius; JESUS vocatur tanquam verus Filius DEI.

℞. Tribulationem, & dolorem inveni:  
 \* Et nomen Domini invocavi.

℣. Turris fortissima nomen Domini,  
 in ipso speravi, & adjutus sum. Et nomen.  
*Benedictio. Divinum auxilium.*

*Lectio viii.*

**N**Eque enim ad instar priorum meus iste JESUS nomen vacuum, aut inane portat. Non est in eo magni nominis umbra, sed veritas. Cœlitus siquidem inditum nomen Evangelista testatur, quod vocatū est ab Angelo, prius quàm in utero conciperetur. Et attende verbi profunditatem: Postquam natus est JESUS. JESUS vocatur ab hominibus, qui vocatus est ab Angelo prius quàm in utero conciperetur. Idem quippe & Angeli Salvator, & hominis; sed hominis ab incarnatione, Angeli ab initio creaturæ. Vocatum est, ait, nomen

men ejus JEsus, quod vocatum est ab Angelo. In ore ergò duorum, vel trium testium stat omne verbum: & ipsum, quod in Propheta abbreviatum, manifestius in Evangelio legitur, caro factum.

R. Expectabo nomen tuum Domine,  
\* Quoniam bonum est in conspectu Sanctorum tuorum. V. Ut confiteamur nomini sancto tuo, & gloriemur in laude tua. Quoniam. Gloria Patri. Quoniam.

Lectio ix.

*De Homil. Dom. 2. post Epiph.*

*Si hoc Festum propt. occur. dupl. i. class. transferat. tunc dic. nona Lectio, quæ sequit.*

**M**ERITò sanè, dum circumciditur puer, qui natus est nobis, Salvator vocatur: quòd videlicet ex hoc jam cæperit operari salutem nostram, immaculatum illum pro nobis sanguinem fundens. Neque enim jam quærere est Christianis, cur voluerit Dominus Christus circumcidi? Propter hoc siquidem circumcisus est, propter quod natus, propter quod passus. Nihil horum propter se, sed omnia propter electos. Nec in peccato genitus, nec à peccato circumcisus, nec mortuus est pro peccato suo: magis autè propter delicta nostra. Quod vocatum est, inquit, ab Angelo, priùs quàm in utero conciperetur. Vocatum planè, non impositum. Nempe hoc ei nomen est ab æterno. A natura propria ha-

bet, ut sit Salvator : innatum est ei nomen hoc, non inditum ab humana, vel Angelica creatura. Te Deum.

*Ad Laudes, & per horas Antiph.*

**O**leum effusum nomen tuum, ideò adolescentulæ dilexerunt te.

*Psalm.* Dominus regnavit. *cum reliq. de Dominica, ut in Psalterio.*

*Antiph.* Scitote, quia Dominus ipse est Deus, cujus nomen in æternum.

*Antiph.* Sitivit anima mea ad nomen sanctum tuum Domine.

*Antiph.* Benedictum nomen gloriæ tuæ sanctum, & laudabile, & superexaltatum in sæcula.

*Antiph.* Juvenes & Virgines, senes cum junioribus laudate nomen Domini; quia exaltatum est nomen ejus solius.

*Capitulum. Phil. 2.*

**F**Ratres, Christus humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis: propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod est super omne nomen: ut in Nomine JEsu omne genu flectatur.

H Y M N U S.

**J**ESU, decus Angelicum,  
In aure dulce canticum,  
In ore mel mirificum,  
In corde nectar cœlicum.

Qui

Qui te gustant, esuriunt;  
 Quibunt, adhuc sitiunt;  
 Desiderare nesciunt,  
 Nisi JESUM, quem diligunt.

O JESU mi dulcissime!  
 Spes suspirantis animæ?  
 Te quærunt piæ lacrymæ,  
 Te clamor mentis intimæ.

Mane nobiscum Domine,  
 Et nos illustra lumine,  
 Pulsa mentis caligine,  
 Mundum reple dulcedine.

JESU, flos Matris Virginis,  
 Amor nostræ dulcedinis,  
 Tibi laus, honor nominis,  
 Regnum beatitudinis. Amen.

Ÿ. Adjutorium nostrum in nomine Domini.  
 R. Qui fecit cœlum & terram.

*Ad Benedictus, Antiph.*

Dedit se, ut liberaret populum, & acquireret sibi nomen æternum, Alleluja.

*Oratio.*

**D**EUS, qui unigenitum Filium tuum constituiisti humani generis Salvatorem, & JESUM vocari jussisti: concede propitius; ut, cujus sanctum nomen veneramur in terris, ejus quoque aspectu perfruemur in cœlis. Per eundem Dominum.

*Postea fit Commem. Dom. 2. post Epiph.*

*Ad Primam* Ÿ. Qui natus es de Maria virgine.

*Ad Tertiam, Antiph. Scitote.*

*Capit. Fratres, Christus humiliavit. ut supr.*

*R. Brev. Sit nomen Domini benedictum,*

*\* Alleluja, Allel. Sit nomen.*

*ψ. Ex hoc nunc, & usque in sæculum.*

*Alleluja, Allel. Gloria Patri. Sit nomen.*

*ψ. Afferte Domino gloriam, & honorem, Allel. ψ. Afferte Domino gloriam*

*nomini ejus. Allel.*

*Ad Sextam, Antiph. Sitivit.*

*Capitulum. Phtl. 2.*

**I**N nomine JESU omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum: & omnis lingua confiteatur, quia Dominus JESUS Christus in gloria est Dei Patris.

*R. Brev. Afferte Domino gloriam, & honorem, \* Alleluja, Allel. Afferte.*

*ψ. Afferte Domino gloriam nomini ejus Alleluja, Allel. Gloria Patri. Afferte.*

*ψ. Magnificate Dominum mecum, Allel.*

*R. Et exaltemus nomen ejus in idipsum, All.*

*Ad Nonam, Antiph. Juvenes & Virgines.*

*Capitulum. Coloss. 3.*

**O**Mne quodcumque facitis in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini JESU Christi facite, gratias agentes Deo, & Patri per ipsum.

*R. Brev. Magnificate Dominum mecum, \* Alleluja, Allel. Magnificate.*

*ψ. Et exaltemus nomen ejus in idipsum. Alleluja, Allel. Gloria. Patri. Magnificate.*

*R. Ad-*

℞. Adjutorium nostrum in nomine Domini, Alleluja.

℞. Qui fecit cœlum, & terram, Allel.

*In II. Vesp. omnia die. ut in primis.*

*Ad Magnificat, Antiph.*

Vocabis nomen ejus JESUM; ipse enim salvum faciet populum suum à peccatis eorum, Alleluja.

*Oratio.*

**D**EUS, qui unigenitum Filium tuum constituiisti humani generis Salvatorem, & JESUM vocari jussisti: concede propitius; ut, cujus sanctum nomen veneramur in terris, eius quoque aspectu perfruemur in cœlis. Per eundem Dominum.

*Deinde fit Commem. Dom. 2. post Epiph.*

*23. Januarij.*

In Festo DESPONSATIONIS B. M. V. cum S. Joseph Dupl. Majus.

Ex Decr. Clem. XI. annò ab 1703.

*Ad vesper. ant. Desponsatio gloriosæ cum reliq. de Laudibus. Psalm. Dixit Dominus cum reliquis ut in Officio parvo B. Maria.*

*Capitulum. Eccli. 24. b.*

**A**B initio, & ante sæcula creata sum, & usque ad futurum sæculum non desinam, & in habitatione sancta coram ipso ministravi. *Hymnus. Ave maris stella.*

℞. Desponsatio est hodie sanctæ Mariæ Virginis.

℞. Cujus vita inclyta cunctas illustrat Ecclesias. *Ad*



*Ad Magnif. Antiph.*

Gloriosæ virginis Mariæ Desponsationem dignissimam recolamus, quæ & genitricis dignitatem obtinuit, & virginalem pudicitiam non amisit.

*Oratio.*

**F**Amulis tuis, quæsumus Domine, cœlestis gratiæ munus impertire: ut quibus beatæ Virginis partus extitit salutis exordium, Desponsationis ejus votiva solemnitas, pacis tribuat incrementum. Per Dominum nostrum.

*Deinde fit commemoratio sancti Joseph. ante alias quascumque commemorationes, etiam Festi Duplicis, aut Dominicæ Añæ. Exurgens Joseph à somno fecit, sicut præcepit ei Angelus Domini, & accepit conjugem suam.*

*Ÿ.* Constituit eum dominum domus suæ.

*℞.* Et principem omnis possessionis suæ.

*Oratio.*

**S**anctissimæ Genitricis tuæ Sponsi, quæsumus Domine, meritis adjuvemur: ut quod possibilitas nostra non obtinet, ejus nobis intercessione donetur.

*Postea fit commemoratio SS. Vincentij & Anastasij martyrum, nec non S. Emerentianæ, Virg. & Mart. ut in Breviario.*

*Ad Matutinum, Invitator.* Desponsationem virginis Mariæ celebremus, \* Christum ejus Filium adoremus Dominum. *Psalmus. Venite, exultemus. 2. Hym-*

*Hymnus. Quem terra. Antiph. & Psalmi Nocturnorum, ut in Officio parvo B. Mariae. In primo Nocturno.*

*Ÿ. Specie tua, & pulchritudine tua. R. Intende prosperè procede, & regna.*

*Incipiunt Cantica canticorum.*

*Lectio i. Cap. i.*

**O**sculetur me osculo oris sui: quia meliora sunt ubera tua vino, fragrantia unguentis optimis. Oleum effusum nomen tuum: ideò adolescentulæ dilexerunt te. Trahe me: post te curremus in odorem unguentorum tuorum. Introduxit me Rex in cellaria sua: exultabimus, & lætābimur in te: memores uberum tuorum super vinum: recti diligunt te. Nigra sum, sed formosa, filiæ Jerusaleme, sicut tabernaculum Cedar, sicut pelles Salomonis. *R. Hodie desponsata est beata virgo Maria ex progenie David: \* Per quam salus mundi credentibus apparuit, cujus vita gloriosa lucem dedit sæculo. Ÿ. Desponsationem beatæ Mariæ virginis cum gaudio celebremus. Per.*

*Lectio ii.*

**N**olite me considerare quòd fusca sim, quia decoloravit me sol: filij matris meæ pugnaverunt contra me, posuerunt me custodem in vineis: vineam meam non custodivi. Indica mihi, quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie, ne vaga-

vagari incipiam post greges sodalium tuorum. Si ignoras te, ò pulcherrima inter mulieres, egredere, & abi post vestigia gregum, & pasce hœdos tuos juxta tabernacula pastorum. Equitatu meo in curribus Pharaonis assimilavi te amica mea. Pulchræ sunt genæ tuæ sicut turturis: collum tuum sicut monilia. *R.* Beatissimæ virginis Mariæ Desponfationem devotissimè celebremus: \* Ut ipsa pro nobis intercedat ad Dominum Jesum Christum.

*V.* Cum jucunditate Desponfationem beatæ Mariæ virginis devotissimè celebremus. Ut ipsa.

*Lectio iii.*

**M**Urenulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argento. Dum esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum. Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur. Botrus Cypri dilectus meus mihi in vineis Engaddi. Ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra es, oculi tui columbarum. Ecce tu pulcher es dilecte mi, & decorus. Lectulus noster floridus: tigna domorum nostrarû cedrina, laquearia nostra cypressina.

*R.* Gloriosæ virginis Mariæ Desponfationem dignissimam recolamus: \* Cujus Dominus humilitatem respexit, quæ Angelo nuntiante concepit Salvatorem mundi. *V.* Beatissimæ virginis Mariæ Despon-

sa.

fationem devotissimè celebremus. Cujus.  
Gloria Patri. Cujus.

*In secundo Nocturno.*

℣. Adjuvabit eam Deus vultu suo.

℞. Deus in medio ejus, non comovebitur. Sermo S. Bernardi Abbatis.

*Ex homilia 2. super Missus est.*

**O**Portebat à principe mundi aliquã diu celari divini consilij Sacramentum: non quòd Deus, si palam opus suum facere vellet, impediri posse ab illo metueret; sed quia ipse, qui non solùm potenter, sed etiam sapienter quæcúmque voluit, fecit, sicut in omnibus operibus suis quasdam rerum vel temporum congruentias propter ordinis pulchritudinem servare consuevit: ita in hoc quoque tam magnifico opere suo, nostræ videlicet reparationis, non tantùm potentiam suam, sed & prudentiam ostendere voluit.

℞. Desponsatio gloriosæ virginis Mariæ ex femine Abrahamæ, ortæ de tribu Juda, clara ex stirpe David \* Cujus vita inclyta cunctas illustrat Ecclesias.

℣. Hodie desponsata est beata virgo Maria ex progenie David. Cujus.

*Lectio v.*

**C**onveniens ergo erat, ut suaviter quoque omnia, cœlestia scilicet & terrena disponeret, quatenus & illinc dejiciens inquietum, reliquos in pace firmaret: &

hic debellaturus invidum, nobis prius suæ humilitatis, & mansuetudinis valdè necessarium exemplum relinqueret: sicque mirabili fieret moderamine sapientiæ, ut & suis suavis, & hostibus fortis appareret.

*R.* Cum jucunditate Desponsationem Beatæ Mariæ celebremus, \* Ut ipsa pro nobis intercedat ad Dominum IESUM Christum. *Ps.* Corde & animo Christo canamus gloriam in hac sacra solemnitate præcelsæ genitricis Dei Mariæ. Ut ipsa.

*Lectio vi.*

**Q**uid enim prodesset diabolum à Deo vinci, nobis manentibus superbis? Necessariò igitur desponsata est Maria Joseph, quando per hoc & à canibus sanctum absconditur, & à Sponso virginitas comprobatur, & Virginis tam verecundiæ parcitur, quàm famæ providetur. Quid sapientius? quid dignius divina providentia? Uno tali consilio secretis cœlestibus & admittitur testis, & excluditur hostis, & integra servatur fama virginis Matris.

*R.* Desponsatio tua, Dei genitrix virgo, gaudium annunciavit universo mundo: \* Ex te enim ortus est sol justitiæ, Christus Deus noster: \* Qui solvens maledictionem, dedit benedictionem: & confundens mortem, donavit nobis vitam sempiternam. *Ps.* Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui. Ex te. Gloria Patri, Qui, *In*

Ÿ. Elegit eam Deus, & præelegit eam.

℞. In tabernaculo suo habitare facit eã.

Lectio sancti Evangelij secundum Mat.

*Lectio vii.*

*Cap. I. c.*

**C**UM esset desponsata mater Jesu Maria Joseph, antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu sancto. Et reliqua.

Homilia S. Hieronymi Presbyteri. *Lib.*

*I. comment. in cap. I. Matthæi.*

**Q**UARE non de simplici Virgine, sed de desponsata concipitur? Primum, ut per generationem Joseph, origo Mariæ monstraretur: secundò, ne lapidaretur à Judæis ut adultera: tertio, ut in Ægyptum fugiens haberet solatium. Martyr Ignatius etiam quartam addidit causam, cur à desponsata conceptus sit: Ut partus, inquiens, ejus celaretur diabolo, dum eum putat non de virgine, sed de uxore generatum.

℞. Beatam me dicent omnes generationes: \* Quia fecit mihi Dominus magna qui potens est, & sanctum nomen ejus.

Ÿ. Et misericordia ejus à progenie in progenies timentibus eum. Quia fecit. *Bño.* Cujus festum colimus, ipsa Virgo virginum.

*Lectio viii.*

**A**Ntequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu sancto. Non ab alio inventa est, nisi à Joseph, qui penè

licentia maritali futuræ uxoris omnia nõ  
verat. Quod autem dicitur, Antequam  
convenirent: non sequitur ut postea con-  
venirent: sed Scriptura, quod factum non  
sit, ostendit.

*R.* Felix namque es sacra virgo Maria,  
& omni laude dignissima: \* Quia ex te or-  
tus est sol justitiæ, \* Christus Deus noster.

*V.* Ora pro populo, interveni pro clero,  
intercede pro devoto femineo sexu: senti-  
ant omnes tuum juvamen, quicúmque ce-  
lebrant tuam sanctam Desponsationem.

Quia ex te.

Gloria Patri. Christus.

*Nona Lectio de S. Emerentiana virgine &  
mart. ut in Breviario.*

*Ad Laudes. & per Horas, Antiph.*

**D**Esponsatio gloriosæ virginis Mariæ,  
ex femine Abrahæ, ortæ de tribu  
Juda, clara ex stirpe David.

*Psalms. Dominus regnavit. cum reliq. de  
Dominica.*

*Antiphona.* Desponsatio est hodie san-  
ctæ Mariæ virginis, cujus vita inclyta cun-  
ctas illustrat Ecclesias.

*Ant.* Regali ex progenie Maria exorta  
refulget; cujus precibus nos adjuvari men-  
te & spiritu devotissimè poscimus

*Ant.* Corde & animo Christo canamus  
gloriam, in hac sacra solemnitate præcelsæ  
genitricis Dei Mariæ.

*Ant.*

*Ant.* Cum jucunditate Desponsationem beatæ Mariæ celebremus, ut ipsa pro nobis intercedat ad Dominum Jesum Christum.

*Capitulum Eccli. 24. b.*

**A**B initio, & ante sæcula creata sum, & usque ad futurum sæculum non desinam, & in habitatione sancta coram ipso ministravi. *Hymnus.* O Gloriosa Virginū. *Ÿ.* Desponsatio est hodie sanctæ Mariæ virginis. *℞.* Cujus vita incyta cunctas illustrat Ecclesias.

*Ad benedictus, Ant.*

Desponsationem hodiernam perpetuæ virginis genitricis Dei Mariæ solemniter celebremus, qua celsitudo throni processit, alleluja. *Oratio.*

**F**Amulis tuis, quæsumus Domine, cœlestis gratiæ munus impertire: ut quibus beatæ Virginis partus extitit salutis exordium, Desponsationis ejus votiva solemnitas, pacis tribuat incrementum. Per Dominum nostrum. *Deinde fit commemoratio sancti Joseph. ant.*

Ipse JESUS erat incipiens, quasi annorū triginta, ut putabatur, filius Joseph.

*Ÿ.* Os Justī meditabitur sapientiam.

*℞.* Et lingua ejus loquetur judicium.

*Oratio.*

**S**ANCTISSIMÆ Genitricis tuæ Sponsi, quæsumus Domine, meritis adjuvemur: ut quod possibilitas nostra non obtinet, ejus nobis intercessione donetur. *Pe.*



*Postea fit commemoratio S. Emerentianæ Virg. & Mart. ut in Breviario.*

*Ad primam in R. Brevis dicitur. V. Qui natus es de Maria virgine.*

*Ad tertiam Ant. Desponsatio est hodie. Capitulum. Ab initio. R. brev. Specie tua, \* Et pulchritudine tua. Specie.*

*V. Intende prospere procede, & regna. Et pulchritudine. Gloria Patri. Specie tua. V. Adjuvabit eam Deus vultu suo. R. Deus in medio ejus, non commovebitur.*

*Ad Sextam Antiph. Regali ex progenie. Capitulum Eccl. 24 b.*

**E**T sic in Sion firmata sum, & in civitate sanctificata similiter requievi, & in Jerusalem potestas mea. Et radicavi in populo honorificato, & in parte Dei mei hæreditas illius, & in plenitudine sanctorum detentio mea.

*R. breve. Adjuvabit eam. \* Deus vultu suo. Adjuvabit. V. Deus in medio ejus, non commovebitur. Deus. Gloria Patri Adjuvab.*

*V. Elegit eam Deus, & præelegit eam.*

*R. In tabernaculo suo habitare facit eam.*

*Ad Nonam Antiph. Cum jucunditate.*

*Capitulum Eccli. 24 b.*

**I**N plateis sicut cinnamomum, & balsamum aromatizans odorem dedi: quasi myrrha electa dedi suavitatem odoris.

*R. breve. Elegit eam Deus & præelegit eam. Elegit. V. In tabernaculo suo habi-*

tare facit eam. Et præelegit. Gloria Patri. Elegit eam.

℣. Diffusa est gratia in labijs tuis.

℞. Propterea benedixit te Deus in æternum. *In secundis vesperis, Antiph. Psalmi, Capitulum Hymnus, & ℣. ut in primis vesperis.*

*Ad Magnificat, Antiph.* Desponsatio tua, Dei genitrix virgo, gaudium annuntiavit universo mundo: ex te enim ortus est sol justitiæ, Christus Deus noster: qui solvens maledictionem, dedit benedictionem; & confundens mortem, donavit nobis vitam sempiternam.

*Oratio.*

Famulis tuis quæsumus. ut supra.

*Deinde fit commemor. sancti Joseph. Ant.* Ecce fidelis servus, & prudens quem constituit Dominus super familiam suam. ℣. Gloria & divitiæ in domo ejus.

℞. Et justitia ejus manet in sæculum sæculi.

*Oratio.*

Sanctissimæ Genitricis tuæ. ut supra.

*Deinde fit commemor. S. Timothei Episcopi & mart. ut in Breviario*

*F E S T A Februarij.*

10. In festo S. SCHOLASTICÆ Virg.

Duplex ex Decr. Bened. XIII. 1. Febr.

1729.

Omnia de com. Virg. præter sequentia.

*Ora-*

**D**EUS, qui animam B. Virginis tuæ Scholafticæ, ad oftendendam innocentiaæ fuæ viam, in Columbæe fpecie Cœlum penetrare fecifti; da nobis ejus meritis, & precibus, ita innocenter vivere, ut ad æterna mereamur gaudia pervenire. Per Dom.  
In I. Nocturno.

*Lect. de Scriptura occurrente; quod fi Feftum venerit in Quadrages. Lect. erunt de Epift. prima B. Pauli Apoftoli ad Corinth. de com. Virg. De Virginibus. ut in commun.*

In II. Nocturno.

Ex Libro fecundo Dialogorum S. Gregorii Papæ. Cap. 33.

*Lectio IV.*

**S**cholaftica venerabilis Patris Benedicti Soror, omnipotenti Domino ab ipfo infantiaæ tempore dedicata, ad eum femel per annum venire confueverat; ad quam vir DEI non longè extra januam in poffeffione Monafterii descendebat. Quadam verò die venit ex more, atque ad eam cum Difcipulis venerabilis ejus descendit frater, qui totum diem in DEI laudibus, facrisque colloquiis ducentes, incumbentibus jam noctis tenebris, fimul acceperunt cibum. Cùmque adhuc ad mensam fedarent, & inter sacra colloquia tardior se hora protraheret, eadem Sanctimonialis femina Soror ejus eum rogavit, dicens: Quæ-

so te, ut ista nocte me non deseras, ut usque manè de cœlestis vitæ gaudiis loquamur. Cui ille respondit: Quid est quod loqueris Soror? manere extra cellam nullatenus possum. Tanta verò erat cœli ferentitas, ut nulla in aëre nubes appareret. Sanctimonialis autem femina, cum verba fratris negantis audivisset, insertas digitis manus super mensam posuit, & caput in manibus omnipotentem Dominum rogatura declinavit. Cùmque levaret de mensa caput, tanta coruscationis & tonitruï virtus, tantâque inundatio pluvix erupit, ut neque venerabilis Benedictus, neque fratres, qui cum eo aderant, extra loci limen, quo confederant, pedem movere potuerint.

R. Propter veritatem, & mansuetudinem, & justitiam: \* Et deducet te mirabiliter dextera tua. V. Specie tua & pulchritudine tua, intende prosperè, procede, & regna. Et deducet.

*Lectio v.*

**S**ANCTIMONIALIS quippe femina caput in manibus declinans, lacrymarum fluvium in mensam fuderat, per quas serenitatem aëris ad pluviam traxit. Nec paulò tardiùs post orationē inundatio illa secuta est, sed tanta fuit convenientia orationis, & inundationis, ut de mensa caput jam cum tonitruo levaret; quatenus unum, idèrque esset momentum, & levare car-

pluviam deponere. Tunc vir DEI intercoruscos, & tonitruos, atque ingentis pluviae inundationem, videns se ad Monasterium non posse remeare, cœpit conqueri contristatus, dicens: Parcat tibi omnipotens DEUS soror; quid est, quod fecisti? cui illa respondit: Ecce rogavi te, & audire me noluisti; rogavi DEUM meum, & audivit me: modò ergo, si potes, egredere, & me dimissa ad Monasterium recede. Ipse autem exire extra tectum non valens, qui remanere spontè noluit in loco, mansit invitus. Sicque factum est, ut totam noctem pervigilem ducerent, atque per sacra spiritualis vitæ colloquia, sese vicaria relatione fatiarent.

*R.* Dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem: \* Propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ. *Y.* Propter veritatem, & mansuetudinem, & justitiam. Propterea.

*Lectio. vi.*

**C**UMQUE die altero eadem venerabilis femina ad cellam propriam recessisset, vir DEI ad Monasterium rediit. Cùm, ecce, post triduum in cella consistens, elevatis in aëra oculis, vidit ejusdem sororis suæ animam de corpore egressam, in Columbæ specie cœli secreta penetrare. Qui, tantæ ejus gloriæ congaudens, omnipotenti DEO in Hymnis, & Laudibus gratias reddidit, ejusque obitum Fratribus de-

nun-

nuntiavit, Quos etiam protinus misit, ut ejus corpus ad Monasterium deferrent, atque in sepulchro, quod sibi ipsi paraverat, ponerent. Quo facto contigit, ut quorum mens una semper in DEO fuerat, eorum quoque corpora nec sepultura separaret.

*R.* Afferentur Regi virgines post eam proximæ ejus \* Afferentur tibi in lætitia & exultatione. *Ps.* Specie tua & pulchritudine tua, intende, prosperè procede, & regna. Afferentur tibi, Gloria Patri. Afferentur tibi.

In III. Nocturno.

*Homilia in Evang.* Simile erit Regnum Cælorum decem Virginibus, de communi Virginum; & si venerit in Quadragesima, IX. Lectio de Homilia Ferie.

*FESTA Martij.*

8. In festo S. JOAN. De DEO. Confess.  
Duplex ex Decr. 25. Apr. 1722.

Omnia de Communi Conf. non Pontificis, præter ea quæ hîc assignantur.

*Oratio.*

**D**EUS, qui beatum Joannem, tuo amore succensum, inter flammæ innocium incedere fecisti, & per eum Ecclesiam tuam nova prole fecundasti; præsta, ipsius suffragantibus meritis, ut igne charitatis tuæ vitia nostra curentur, & remedia nobis æterna proveniant. Per Dom.

In

In I. Nocturno.

*In Quadragesima, Lektionen de libro Ecclesiastici. Beatus vir. de communi Confessoris non Pontificis secundo loco, extra Quadrag. de script. occur.*

In II. Nocturno.

*Lectio. iv.*

**J**Oannes de Deo ex catholicis pijsq; parentibus in oppido Montis Majoris junioris Regni Lusitanæ natus, quàm sublimiter in sortem Domini fuerit electus, insuetus splendor super ejus domo refulgens, sonitusque æris campani sua sponte emissus, ab ipso ejus nativitatis tempore non obscure prænuntiarunt. A laxiori vivendi ratione, Divina operante virtute, revocatus, magnæ sanctitatis exhibere specimen cœpit, & ob auditam prædicationem verbi Dei sic ad meliora se excitatum sensit, ut jam ab ipso sanctioris vitæ rudimento consummatum aliquid, perfectumque visus sit attigisse. Bonis omnibus in pauperes carceribus inclusos erogatis, admirabilis pœnitentiæ, sui que ipsius contemptus cuncto populo spectaculum factus, à plerisque, ceu demens, graviter afflictus, in carcerem amentibus destinatum conjicitur. At Joannes cœlesti charitate magis incensus, gemino, atque amplo valetudinario ex piorum elemosynis in civitate Granatensi extructo, jactoque novi Ordinis fundamento, Ecclesiam

siam nova prole fecundavit Fratrum Hospitalitatis, infirmis præclaro animarum corporumque profectu inservientium, & longè lateque per orbem diffusorum.

*R.* Honestum fecit illum Dominus, & custodivit eum ab inimicis, & à seductoribus tutavit illum: \* Et dedit illi caritatem æternam.

*Y.* Justum deduxit Dominus per vias rectas, & ostendit illi regnum Dei. Et dedit.

*Lectio v.*

**P**AUPERIBUS ægrotis, quos propriis quandoque humeris domum deferebat, nulla re ad animæ corporisque salutem proficua deerat. Effusa quoque extra nosocomium charitate indigentibus mulieribus viduis, & præcipuè virginibus periclitantibus clam alimenta subministrabat, curamque indefessam adhibebat, ut carnis concupiscentiam à proximis hujusmodi vitio inquinatis exterminaret. Cùm autem maximum in regio Granatensi valetudinario excitatum fuisset incendium, Joannes impavidus profiliit in ignem, huc illuc discurrens, quousque tum infirmos humeris exportatos, tum lectulos è fenestris projectos ab igne vindicavit, ac per dimidiam horam inter flammam jam in immensum succrescentes, versatus, exinde divinitus incolomis, universis civibus admirantibus, exivit,  
in



in schola charitatis edocens, segniorem in eum fuisse ignem, qui foris usserat, quàm qui intus accenderat.

R. Amavit eum Dominus, & ornavit eum: stolam gloriæ induit eum: \* Et ad portas paradisi coronavit eum.

Y. Induit eum Dominus loricam fidei, & ornavit eum. Et ad.

*Lectio vi.*

**M**ultiplici asperitatum genere, demississima obedientia, extrema paupertate, orandi studio, rerum divinarum contemplatione, ac in beatam Virginem pietate mirificè excelluit, & lacrymarum dono enituit. Denique gravi morbo correptus, omnibus Ecclesiæ Sacramentis ritè sancteque refectus, viribus licèt destitutus, propriis indutus vestibus è lectulo surgens, ac provolutus in genua, manu & corde Christum Dominum è cruce pendentem perstringens, octavo Idus Martii anno millesimo quingentesimo quinquagesimo obiit in osculo Domini: quem etiam mortuus tenuit, nec dimisit, & in eadem corporis constitutione sex circiter horas, quousque inde dimotus fuisset, tota civitate inspectante, mirabiliter permansit, odorem mirè fragrantem diffundens. Quem ante & post obitum plurimis miraculis clarum, Alexander octavus Pontifex Maximus in Sanctorum numerum retulit.

R. Iste

**R.** Iste homo perfecit omnia, quæ locutus est ei Deus, & dixit ad eum : Ingredere in requiem meam : \* Quia te vidi justum coram me ex omnibus Gentibus.

**Y.** Iste est qui contempfit vitam mundi, & pervenit ad cœlestia regna. Quia. Gloria Patri. Quia.

In III. Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

*Lectio vii. Cap. 22. d.*

**I**N illo tempore : Accesserunt ad Jesum Pharisæi : & interrogavit eum unus ex eis Legis doctor, tentans eum : Magister, quod est mandatum magnum in Lege ? Et reliqua.

Homilia sancti Joannis Chrysofomi.

*Homilia 72. in Matth.*

**S**Adducæis confusis, Pharisæi rursus agrediuntur: cùmque quiescere oporteret, decertare voluerunt ; & Legis peritiam profitentem præmittunt, non discere, sed tentare cupientes ; ac ita interrogant, quodnam primum mandatum in Lege sit. Nam cùm primum illud sit, Diliges Dominum Deum tuum : putantes causas sibi allaturum ad mandatum hoc corrigendum, aliquid addendo, quoniam Deum se faciebat, hoc modo interrogant : Quid igitur Christus ? Ut ostendat idcirco ad hæc eos devenisse, quia nulla in eis esset Charitas, sed

sed invidiæ livore tabescerent : Diliges, inquit, Dominum Deum tuum : hoc primum & magnum mandatum est. Secundum autem simile huic : Diliges proximum tuum sicut teipsum.

*R.* Iste est, qui ante Deum magnas virtutes operatus est, & de omni corde suo laudavit Dominum : \* Ipse intercedat pro peccatis omnium populorum.

*Y.* Ecce homo sine querela, verus Deicultor, abstinens se ab omni opere malo, & permanens in innocentia sua. Ipse.

*Lectio viii.*

**Q**Uamobrem simile est huic ? quoniam hoc illud inducit, & ab illo rursus munitur. Quicumque enim malè agit, odio habet lucem, & non venit ad lucem. Et rursus : Dixit insipiens in corde suo : Non est Deus. Deinde sequitur : Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt in studiis suis. Et iterum : Radix omnium malorum avaritia est : quam quidam appetentes, erraverunt à fide. Et, qui diligit me, mandata mea servabit : quorum caput & radix est, Diliges Dominum Deum tuum, & proximum tuum sicut teipsum.

*R.* Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris : \* Et vos similes hominibus expectantibus dominum suum, quando revertatur à nuptiis.

*Y.* Vi-

Ÿ. Vigilate ergo, quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit. Et vos.

Gloria Patri. Et vos.

*Si hoc Festum venerit in Quadragesima, ix. Lectio legitur de Homilia Ferie occurrentis, & de ea fit commem.*

*Lectio ix.*

**S**I ergo diligere Deum, diligere proximum est; (nam si diligis me, o Petre, inquit, pasce oves meas:) si etiam dilectio proximi facit, ut mandata custodias: meritò ait in his totam Legem & Prophetas pendere. Et quemadmodum in superioribus, cùm de resurrectione interrogaretur, plus docuit, quàm tentantes petebant: sic in hoc loco de primo interrogatus mandato, secundum etiam non valdè quàm primum inferius, spontè attulit: secundum enim est primo simile. Ita occultè insinuavit, odio illos ad quærendum incitari. Caritas enim, inquit, non æmulatur.

Te Deum laudamus.

19. Martij.

In festo S. JOSEPH sponfi B.M.V. Dupl. 2. class.

*Ad Vesperas, Antiphona.*

**J**Acob autem genuit Joseph virum Mariæ, de qua natus est Jesus, qui vocatur Christus. *Psalmus. Dixit Dominus, &c. cum reliq. de Dominica, & loco ultimi. Psal. Laudate Dominum omnes Gentes, &c.*

*Antiph.* Missus est Angelus Gabriel à Deo ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David, & nomen Virginis Maria.

*Antiph.* Cùm esset desponsata Mater Jesu Maria Joseph, antequàm convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu sancto.

*Antiph.* Joseph vir ejus, cùm esset justus, & nollet eam traducere, voluit occultè dimittere eam.

*Antiph.* Angelus Domini apparuit Joseph, dicens: Joseph fili David noli timere accipere Mariam Conjugem tuam; quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est: pariet autem filium, & vocabis nomen ejus Jesum.

*Capitulum.* Prov. 28. & 27.

**V**ir fidelis multùm laudabitur. Et qui custos est Domini sui, glorificabitur.

*Hymnus.*

**T**E Joseph, celebrent agmina Cœlitum  
Te cuncti resonent Christiadū Chori,  
Qui clarus meritis, junctus es inclytæ  
Casto fœdere Virgini.

Almo cum tumidam germine conjugem  
Admirans, dubio tangeris anxius,  
Afflatus superi Flamini Angelus  
Conceptum puerum docet.

Tu natum Dominum stringis, ad exteras  
Ægypti profugum tu sequeris plagas;  
Amissum Solymis quæris, & invenis,  
Miscens gaudia fletibus. Post

Post mortem reliquos mors pia consecrat,  
 Palmamque emeritos gloria suscipit :  
 Tu vivens, Superis par, frueris Deo,  
 Mira sorte beatior.

Nobis, summa Trias, parce precantibus  
 Da Joseph meritis sidera scandere :  
 Ut tandem liceat nos tibi perpetim  
 Gratum promere canticum. Amen.

℣. Constituit eum Dominum domus suæ.  
 ℞. Et Principem omnis possessionis suæ.

*Ad Magnif. Antiph.*

Exurgens Joseph à somno fecit, sicut  
 præcepit ei Angelus Domini, & accepit  
 conjugem suam.

*Oratio.*

SANCTISSIMÆ Genitricis tuæ Sponsi, quæ-  
 sumus Domine, meritis adjuvemur :  
 ut quod possibilitas nostra non obtinet, ejus  
 nobis intercessione donetur. Qui vivis &  
 regnas cum Deo Patre.

*Si celebretur in Quadragesima, fit cōmemo-  
 ratio Feriæ.*

*Ad Matutinum, Invitatorium.*

Christum Dei Filium, qui putari digna-  
 tus est filius Joseph : \* Venite adoremus.

*Psalms.* Venite, exultemus.

*Hymnus.*

COELITUM Joseph decus, atque nostræ  
 Certa spes vitæ, columenque mundi,  
 Quas tibi læti canimus, benignus  
 Suscipe laudes.

Te Sator rerum statuit pudicæ

Virginis sponsum, voluitque Verbi  
Te patrem dici, dedit & ministrum  
Esse salutis.

Tu Redemptorem stabulo jacentem,  
Quem chorus Vatum cecinit futurum,  
Aspicias gaudens, humilisque natum.  
Numen adoras.

Rex Deus regum, Dominator orbis,  
Cujus ad nutum tremjit inferorum  
Turba, cui pronus famulatur æther,  
Se tibi subdit.

Laus sit excelsæ Triadi perennis,  
Quæ tibi præbens superos honores,  
Det tuis nobis meritis beatæ  
Gaudia vitæ. Amen.

In I. Nocturno.

*Antiph.* Ascendit Joseph à Galilæa de  
civitate Nazareth in Judæam, in civitatem  
David, quæ vocatur Bethlehem, ut profite-  
retur cum Maria.

*Psalms.* Beatus vir. *cùm reliquis de Com-  
muni Confessoris non Pontificis.*

*Antiph.* Venerunt Pastores festinantes:  
& invenerunt Mariam, & Joseph, & in-  
fantem positum in præsepio.

*Psalms.* Quare fremuerunt,

*Antiph.* Ecce Angelus Domini apparuit in  
somnia Joseph, dicens: Surge, & accipe pue-  
rum, & matrem ejus, & fuge in Ægyptum.

*Psalms.* Domine, quid multiplicati.

ψ. Con-

¶ Constituit eum Dominum domus suæ.

℞. Et principem omnis possessionis suæ.

De libro Genesis.

Lectio i.

Cap. 39.

**J**oseph igitur ductus est in Ægyptum, emitque eum Putiphar Eunuchus Pharaonis, princeps exercitus, vir Ægyptius, de manu Ismaelitarum, à quibus perductus erat. Fuitque Dominus cum eo, & erat vir in cunctis prosperè agens: habitavitque in domo domini sui, qui optimè noverat Dominum esse cum eo, & omnia, quæ gereret, ab eo dirigi in manu illius. Invenitque Joseph gratiam coram domino suo, & ministrabat ei, à quo præpositus omnibus gubernabat creditam sibi domum, & universa quæ ei tradita fuerant: benedixitque Dominus domui Ægyptii propter Joseph.

℞. Fuit Dominus cum Joseph, & dedit ei gratiam in conspectu Principis carceris; \*Qui tradidit in manu illius universos viatos.

¶ Quidquid fiebat, sub ipso erat: Dominus enim erat cum illo, & omnia opera ejus dirigebat. Qui.

Lectio ii.

Gen. Cap. 41.

**P**lacuit Pharaoni consilium Joseph, & cunctis ministris ejus: locutusque est ad eos. Num invenire poterimus talem virum



rum, qui Spiritu Dei plenus sit? Dixit ergo ad Joseph: Quia ostendit tibi Deus omnia, quæ locutus es, numquid sapientiorum, & consimilem tui invenire poterō? Tu eris super domum meam, & ad tui oris imperium cunctus populus obediet: uno tantum regni folio te præcedam.

*R.* Esuriente terra Ægypti clamavit populus ad Regem alimenta petens. Quibus ille respondit: \*Ite ad Joseph, & quidquid vobis dixerit, facite.

*Y.* Crescebat quotidie fames in omni terra: aperuitque Joseph universa horrea, & vendebat Ægyptiis. Ite.

*Lectio iii. Gen. Cap. 41.*

**D**ixitque rursus Pharaon ad Joseph: Ecce constitui te super universam terram Ægypti. Tulitque annulum de manu sua, & dedit eum in manu ejus: vesti vitæque eum stola byssina, & collo torquem auream circumposuit. Fecitque eum ascendere super currum suum secundum, clamante præcone, ut omnes coram eo genuflecterent, & præpositum esse scirent universæ terræ Ægypti. Dixitque Rex ad Joseph: Ego sum Pharaon: absque tuo imperio non movebit quisquam manum, aut pedem in omni terra Ægypti.

*R.* Fecit me Dominus quasi Patrem Regis, & dominum universæ domus ejus: nolite pavere, \* Pro salute enim vestra misit me Deus ante vos in Ægyptum. *Y.*

*Y.* Venite ad me, & ego dabo vobis omnia bona Ægypti, & comedetis medullam terræ. Pro. Gloria Patri. Pro.

In II. Nocturno.

*Antiph.* Confurgens Joseph accepit puerum, & matrem ejus nocte, & secessit in Ægyptum : & erat ibi usque ad obitum Herodis.

*Psalmus.* Cum invocarem

*Antiph.* Defuncto Herode Angelus Domini apparuit in somnis Joseph in Ægypto, dicens : Surge, & accipe puerum, & matrem ejus, & vade in terram Israël : defuncti sunt enim, qui quærebant animam pueri.

*Psalmus.* Verba mea.

*Antiph.* Accepit Joseph puerum, & matrem ejus, & venit in terram Israël.

*Psalmus.* Domine Dominus noster.

*Y.* Magna est gloria ejus in salutari tuo.

*R.* Gloriam, & magnum decorem impones super eum.

Sermo sancti Bernardi Abbatis.

*Homilia 2. super Missus est, prope finem.*

*Lectio iv.*

**Q**uis & qualis homo fuerit beatus Joseph, conjice ex appellatione, qua, licet dispensatoria, meruit honorari à Deo, ut pater Dei & dictus & creditus sit : conjice & ex proprio vocabulo, quod augmentum non dubitas interpretari. Simul & me-  
men-

mento magni illius quondam Patriarchæ venditi in Ægypto, & scito ipsius istum non solum vocabulum fuisse sortitum, sed & castimoniam adeptum, innocentiam assecutum, & gratiam.

℞. Ascendit Joseph à Galilæa de civitate Nazareth in Judæam, in civitatem David, quæ vocatur Bethlehem: \* Eò quòd esset de domo, & familia David.

℥. Ut profiteretur cum Maria desponsata sibi uxore. Eò quòd.

*Lectio v.*

**S**iquidem ille Joseph, fraterna ex invidia venditus, & ductus in Ægyptum, Christi venditionem præfiguravit: iste Joseph, Herodianam invidiam fugiens, Christum in Ægyptum portavit. Ille domino suo fidem servans, dominæ noluit commisceri: iste Dominã suam Domini sui matrem, virginem agnoscens, & ipse continens, fideliter custodivit. Illi data est intelligentia in mysteriis somniorum: isti datum est conscium fieri atque participem cælestium sacramentorum. ℞. Surge, & accipe puerum, & matrem ejus, & fuge in Ægyptum: \* Et esto ibi, usque dum dicam tibi.

℥. Ut adimpleretur quod dictum est à Domino per Prophetam dicentem: Ex Ægypto vocavi Filium meum. Et esto.

*Lectio vi.*

**I**lle frumenta servavit non sibi, sed omni  
pa-

populo: iste panem vivum è cœlo servandum accepit tam sibi, quàm toti mundo. Non est dubium, quin bonus & fidelis homo fuerit iste Joseph, cui mater desponsata est Salvatoris. Fidelis, inquam, servus & prudens, quem constituit Dominus suæ matris solatium, suæ carnis nutritium, solum denique in terris magni consilii coadjutorem fidissimum.

*R.* Cùm inducerent puerum Jesum parentes ejus, ut facerent secundùm consuetudinem legis pro eo: \* Accepit eum Simeon in ulnas suas, & benedixit Deum.

*V.* Et erat pater ejus, & mater mirantes super his, quæ dicebantur de illo. Accepit. Gloria Patri. Accepit.

In III. Nocturno.

*Antiph.* Audiens Joseph quòd Archelaus regnaret in Judæa pro Herode patre suo, timuit illò ire.

*Psalmus.* Domine, quis habitabit.

*Antiph.* Admonitus in somnis Joseph secessit in partes Galilææ: & veniens habitavit in civitate, quæ vocatur Nazareth; ut adimpleretur quod dictum est per Prophetas: Quoniam Nazaræus vocabitur.

*Psalmus.* Domine, in virtute tua.

*Antiph.* Erat pater Jesu, & mater mirantes super his, quæ dicebantur de illo; & benedixit illis Simeon.

*Psalmus.* Domini est terra.

Ÿ. Justus germinabit sicut lilium.

℞. Et florebit in æternum ante Dominum.

Lectio sancti Evangelii secundum Matth.

*Lectio vii. Cap. I. c.*

**C**UM esset desponsata mater Jesu Maria Joseph, antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu sancto. Et reliqua.

Homilia S. Hieronymi Presbyteri.

*Lib. I. Comment. in c. I. Matth.*

**Q**UARE non de simplici virgine, sed de desponsata concipitur? Primum, ut per generationem Joseph origo Mariæ monstraretur: secundò, ne lapidaretur à Judæis ut adultera: tertio, ut in Ægyptum fugiens haberet solatium. Martyr Ignatius etiam quartam addidit causam, cur à desponsata conceptus sit: Ut partus, inquires, ejus celaretur diabolo, dum eum putat non de virgine, sed de uxore generatum.

℞. Dicit mater Jesu ad illum: Fili quid fecisti nobis sic? \* Ecce pater tuus, & ego dolentes quærebamus te.

Ÿ. Et ait ad illos: Quid est quòd me quærebatis? nesciebatis quia in his, quæ Patris mei sunt, oportet me esse? Ecce pater tuus.

*Lectio viii.*

**A**Ntequam convenirent, inventa est in ute-

ro habens de Spiritu sancto. Non ab alio inventa est, nisi à Joseph, qui penè licentia maritali futuræ uxoris omnia noverat. Quòd autem dicitur, Antequam convenirent: non sequitur ut postea convenerint; sed Scriptura quòd factum non sit, ostendit.

℞. Descendit Jesus cum eis, & venit Nazareth; \* Et erat subditus illis.

℥. Proficiebat sapientia, & ætate, & gratia apud Deum, & homines. Et erat subditus illis. Gloria Patri. Et erat.

*Nona Lectio dicitur de Homilia Ferie occurrentis, si celebretur in Quadragesima; & de ea fit commemoratio in Laudibus.*

*Lectio ix.*

**J**oseph autem vir ejus cum esset justus, & nollet eam traducere, voluit occultè dimittere eam. Si quis fornicariæ conjungitur, unum corpus efficitur: & in lege præceptum est, non solùm reos, sed & conscios criminum obnoxios esse peccati: quomodo Joseph, cum crimen celaret uxoris, justus scribitur? Sed hoc testimonium Mariæ est, quòd Joseph sciens illius castitatem, & admirans quod evenerat, celat silentio, cujus mysterium nesciebat.

Te Deum laudamus.

*Ad Laudes, & per Horas, Antiph.*

**I**Bant parentes Jesu per omnes annos in Jerusalem, in die solemni Paschæ.

*Psalms. Dominus regnavit. cum reliquis de Dominica.* An-

*Antiph.* Cùm redirent, remansit puer Jesus in Jerusalem, & non cognoverunt parentes ejus.

*Antiph.* Non invenientes Jesum, regressi sunt in Jerusalem requirentes eum; & post triduum invenerunt illum in templo sedentem in medio doctorum, audientem & interrogantem eos.

*Antiph.* Dixit Mater ejus ad illum: Fili quid fecisti nobis sic? Ecce pater tuus, & ego dolentes quærebamus te.

*Antiph.* Descendit Jesus cum eis, & venit Nazareth, & erat subditus illis.

*Capitulum. Prov. 28. & 27.*

**V**ir fidelis multùm laudabitur. Et qui custos est Domini sui, glorificabitur.

*Hymnus.*

**I**ste, quem læti colimus fideles,  
Cujus excelsos canimus triumphos,  
Hac die Joseph meruit perennis  
Gaudia vitæ.

O nimis felix, nimis ò beatus,  
Cujus extremam vigiles ad horam  
Christus & Virgo simul astiterunt  
Ore sereno.

Hinc stygis victor, laqueo solutus  
Carnis, ad sedes placido sopore  
Migrat æternas, rutilisque cingit  
Tempora fertis.

Ergo regnantem flagitemus omnes  
Adsit ut nobis, veniámque nostris

Obtinens culpis, tribuat supernæ  
Munera pacis.

Sint tibi plausus, tibi sint honores  
Trine, qui regnas Deus, & coronas  
Aureas servo tribuis fidei

Omne per ævum. Amen.

℣. Os iusti meditabitur sapientiam.

℞. Et lingua ejus loquetur iudicium.

*Ad Benedictus, Antiph.*

Ipsè Jesus erat incipiens, quasi annorum  
triginta, ut putabatur, filius Joseph.

*Oratio.*

**S**ANCTISSIMÆ Genitricis tuæ Sponsi, quæ-  
sumus Domine, meritis adjuvemur:  
ut quod possibilitas nostra non obtinet, ejus  
nobis intercessione donetur. Qui vivis &  
regnas cum Deo Patre.

*Deinde fit commemoratio Feriæ, si celebretur in Quadragesima.*

*Ad Tertiam, Antiph. Cùm redirent.*

*Capitulum. Vir fidelis. ut supra.*

℞. *breve.* Constituit eum, \* Dominum  
domus suæ. Constituit.

℣. Et Principem omnis possessionis suæ.  
Dominum domus suæ.

Gloria Patri. Constituis.

℣. Magna est gloria ejus in salutari tuo.

℞. Gloriam, & magnum decorem im-  
pones super eum.

*Ad Sextam, Antiph.*

Non invenientes.



**D**ilectus Deo, & hominibus, cujus memoria in benedictione est. In fide, & lenitate ipsius sanctum fecit illum, & elegit eum ex omni carne.

*R. breve.* Magna est gloria ejus, \* In salutari tuo. Magna est.

*Y.* Gloriam & magnum decorem impones super eum. In salutari tuo.

Gloria Patri. Magna est.

*Y.* Justus germinabit sicut lilium.

*R.* Et florebit in æternum ante Dominum.

*Ad Nonam, Antiphona.*

Descendit Jesus.

*Capitulum. Sap. 10.*

**P**rofugum justum deduxit Sapientia per vias rectas, & ostendit illi regnum Dei, & dedit illi scientiam Sanctorum; honestavit illum in laboribus, & complevit labores illius.

*R. breve.* Justus germinabit, \* Sicut lilium. Justus.

*Y.* Et florebit in æternum ante Dominum. Sicut lilium. Gloria Patri. justus germinabit.

*Y.* Plantatus in domo Domini.

*R.* In atriis domus Dei nostri.

*In secundis Vesperis. Antiph.*

Ibant parentes. *ut in Laudib. Psal. Capit. & Hymn. ut in primis Vesp.*

Y Gloria, & divitiæ in domo ejus.

R Et justitia ejus manet in sæculum sæculi.

*Ad Magnificat, Antiph.*

Ecce fidelis servus, & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam.

*Oratio.*

Sanctissimæ Genitricis tuæ. ut supra. 69.

*Deinde fit commem. S. Joachim Patris B.V.M. ut in Breviario, & fer. occur. si celebr. in Quadrages.*

24 Martij.

In festo S. GABRIELIS Archangeli  
Dupl. Majus ex Decr. 17. Junij 1684.

*Ad Vesperas, Antiph.*

Ingresso Zacharia. *cum reliquis de Laudib. Psalm Dixit Dominus cum reliquis de Domin. & loco ult. Psalm. Laudate Dominum omnes gentes.*

*Capitulum. Dan. 9.*

**E**Cce vir Gabriel, quem videram in visione à principio, citò volans tetigit me in tempore sacrificij vespertini. Et docuit me, & locutus est mihi, dixitque: Daniel, nunc egressus sum ut docerem te, & intelligeres.

H Y M N U S.

**C**Hriste sanctorum decus Angelorum,  
Gentis humanæ Sator & Redemptor,  
Cœlitum nobis tribuas beatas

Scandere sedes

Angelus pacis Michael in ædes  
 Cœlitus nostras veniat, serenæ  
 Auctor ut pacis lacrymosa in orcum  
 Bella releget.

Angelus fortis Gabriel, ut hostes  
 Pellat antiquos, & amica cœlo,  
 Quæ triumphator statuit per orbem,  
 Tempa revifat.

Angelus nostræ medicus salutis  
 Adfit è cœlo Raphael, ut omnes  
 Sanet ægrotos, dubiosque vitæ  
 Dirigat actus.

Virgo Dux pacis, Genitrixque lucis,  
 Et facer nobis Chorus Angelorum  
 Semper assistat, simul & micantis  
 Regia cœli.

Præstet hoc nobis Deitas beata  
 Patris, ac Nati, pariterque sancti  
 Spiritus, cujus resonat per omnem  
 Gloria mundum. Amen.

✠. Stetit Angelus juxta aram templi.

℞. Habens thuribulum aureum in manu sua.

*Ad Magnificat, Antiph.*

Ingressus Gabriel Angelus ad Mariam virginem, dixit: Ave gratia plena, Dominus tecum: benedicta tu in mulieribus.

*Oratio.*

**D**Eus, qui inter ceteros Angelos, ad annuntiandum Incarnationis tuæ mysterium Gabrielem Archangelum elegisti:

concede propitius; ut, qui festum ejus celebramus in terris, ipsius Patrocinium sentiamus in cœlis. Qui vivis & regnas.

*Deinde fit com. Fer. si celeb. in Quadrag.*

*Ad Matutinum, invitatorium.*

Regem Archangelorum, \* Venite adoremus. *Psalmus.* Venite exultemus. *Hymnus* Christe sanctorum. *ut supra in vesp.*

In I. Nocturno.

*Antiph.* Dixit Angelus Gabriel ad Danielem: Intellige fili hominis, quoniam in tempore finis implebitur visio.

*Psalmus.* Domine Dominus noster. *cum reliquis Psalmis Nocturnor. per ordinem, ut in festo Apparit. S. Michael. Arch. 8. Maii.*

*Antiph.* Ecce vir Gabriel, quem videram in visione, citò volans tetigit me in tempore sacrificii vespertini, & docuit me.

*Psalmus.* In Domino confido.

*Antiph.* Cùmque Gabriel loqueretur ad me, collapsus sum pronus in terram, & tetigit me, & statuit me in gradu meo.

*Psalmus.* Domine, quis habitabit in.

✠. Stetit Angelus juxta aram templi.

℞. Habens thuribulum aureum in manu sua. Ex Daniele Propheta.

*Lectio i. Cap. 9. c.*

**E**GO Daniel, cum adhuc loquerer, & orarem, & confiterer peccata mea, & peccata populi mei Israel, & prosternerem preces meas in conspectu Dei mei, pro

monte sancto Dei mei. Adhuc me loquente in oratione, ecce vir Gabriel, quem videram in visione à principio, citò volans tetigit me in tempore sacrificii vespertini. Et docuit me, & locutus est mihi, dixitque: Daniel nunc egressus sum ut docerē te, & intelligeres. Ab exordio precum tuarum egressus est sermo: ego autem veni ut indicarem tibi, quia vir desideriorum es: tu ergo animadvertite sermonem, & intellige visionem.

*R.* Cùm oraret Daniel, & confiteretur peccata sua, & peccata populi sui, \* Ecce Archangelus Gabriel citò volans tetigit eum in tempore sacrificii vespertini.

*V.* Cumque prosterneret preces suas in conspectu Dei sui. Ecce Archangelus.

*Lectio ii.*

**S**eptuaginta hebdomades abbreviatæ sunt super populum tuum, & super urbem sanctam tuam, ut consumetur prævaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur iustitia sempiterna, & impleatur visio & Prophe-tia, & ungatur sanctus sanctorum. Scito ergo, & animadvertite ab exitu sermonis ut iterum ædificetur Jerusalem usque ad Christum ducem, hebdomades septem, & hebdomades sexaginta duæ erunt: & rursus ædificabitur platea, & muri in angustia temporum.

*R.* Locutus est Gabriel Danieli, & dixit: ab exordio precum tuarum egressus est sermo: \* Ego autem veni ut indicarem tibi, quia vir desideriorum es. *Ψ.* Tu autem animadvertite sermonem, & intellige visionem. Ego autem.

*Lectio iii.*

**E**T post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus, & non erit ejus populus qui eum negaturus est: & civitatem & sanctuarium dissipavit populus cum duce venturo: & finis ejus vastitas, & post finem belli statuta desolatio. Confirmabit autem pactum multis hebdomada una: & in dimidio hebdomadis deficiet hostia, & sacrificium: & erit in templo abominatio desolationis, & usque ad consummationem & finem perseverabit desolatio.

*R.* Ecce vir Gabriel, quem videram, citò volans tetigit me in tempore sacrificii vespertini, & docuit me, & dixit: \* Daniel nunc egressus sum ut docerem te, & intelligeres. *Ψ.* Gabriel fac me intelligere istam visionem: & venit, & stetit juxta ubi ego stabam, & ait ad me. Daniel nunc. Gloria Patri. Daniel nunc.

In II. Nocturno.

*Antiph.* Gabriel Angelus apparuit Zachariæ dicens: Uxor tua Elisabeth pariet tibi filium, & vocabis nomen ejus Joannem.

*Psalmus.* Cœli enarrant.

*Antiph.* Et dixit Zacharias ad Angelum :  
Unde hoc sciam ? ego enim sum senex, &  
uxor mea processit in diebus suis.

*Psalms.* Domini est terra.

*Antiph.* Respondens autem Angelus, di-  
cit ei : Ego sum Gabriel, qui asto ante De-  
um, & missus sum loqui ad te, & hæc tibi  
evangelizare. *Psal.* Benedicam Dominum.

℣. Ascendit fumus aromatum in con-  
spectu Domini. ℞. De manu Angeli.

Sermo S. Bernardi Abbatis.

*Ex Homilia de Laudibus Virginis super  
Missus est. Lectio iv.*

**M**issus est Angelus Gabriel à Deo.  
Non arbitror hunc Angelum de mi-  
noribus esse, qui qualibet ex causa crebra  
soleant ad terras fungi legatione. Quod  
ex ejus nomine palam intelligi datur, quod  
interpretatum, Fortitudo Dei dicitur : &  
quia non ab aliquo alio fortè excellentiore  
se ( ut assolet ) spiritu, sed ab ipsò Deo  
mitti perhibetur. Propter hoc ergo posi-  
tum est, à Deo. Vel ideò dictum est, à  
Deo ; ne cui, vel beatorum spirituum,  
suum Deus antequam Virgini revelasse  
putetur consilium, excepto duntaxat Ar-  
changelo Gabriele. Qui utique tantæ in-  
ter suos inveniri potuerit excellentiæ, ut  
tali & nomine dignus haberetur & nuntio.

℞. Factum est, cùm sacerdotio funge-  
retur Zacharias in ordine vicis suæ ante  
De-

Deum, \* Apparuit ei Angelus Gabriel, stans à dextris altaris incensi.

Ψ. Cúmque ingressus in templum Domini incensum poneret secundum consuetudinem sacerdotii sui. Apparuit.

*Lectio v.*

**N**Ec discordat nomen à nuntio: Dei quippe virtutem Christum, quem melius nuntiare decebat, quàm hunc, quem simile nomen honorat? Nam quid est aliud fortitudo, quàm virtus? Non autem dedecens, aut in congruum videatur, Dominum & nuntium communi censerì vocabulo, cùm similis in utròque appellationis, non sit tamen utriúsque similis causa. Aliter quippe Christus fortitudo vel virtus Dei dicitur, aliter Angelus. Angelus enim tantùm nuncupativè, Christus autem etiam substantivè.

℞. Descendit Gabriel Angelus ad Zachariam dicens: \* Ne timeas, quoniam exaudita est deprecatio tua, & uxor tua Elisabeth pariet tibi filium, & vocabis nomen ejus Joannem. Ψ. Et Zacharias turbatus est videns, & timor irruit super eum: ait autem ad illum Angelus. Ne timeas.

*Lectio vi.*

**C**Hristus Dei virtus & dicitur, & est: qui forti armato, qui suum atrium in pace custodire solebat, fortior superveniens, ipsum suo brachio debellavit: & sic  
ei



ei vasa captivitatis potenter eripuit. Angelus verò fortitudo Dei appellatus est: vel quòd hujuscemodi meruerit prærogativam officij, quo ejusdem nuntiaret adventum virtutis: vel quia Virginem naturâ pavidam, simplicem, verecundam, non miraculi novitate expavesceret, confortare deberet: quod & fecit, Ne timeas, inquiens, Maria; invenisti enim gratiam apud Deum. Convenienter itaque Gabriel ad hoc opus eligitur: imò quia tale illi negotium injungitur; rectè tali nomine designatur.

**R.** Ego sum Gabriel, qui asto ante Deum: & missus sum loqui ad te, & hæc evangelizare: \* Ecce eris tacens, & non poteris loqui usque in diem, quo hæc fiant. **V.** Pro eo quòd non credidisti verbis meis, quæ implebuntur tempore suo. Ecce eris. Gloria Patri. Ecce eris.

In III. Nocturno,

*Antiph.* Missus est Gabriel Angelus ad Mariam Virginem desponsatam Joseph.

*Psalmus.* Cantate Domino

*Antiph.* Gabriel Angelus Mariæ dixit: Ecce Elifabeth cognata tua, & ipsa concepit filium in senectute sua.

*Psalm.* Dominus regnavit exultet terra.

*Antiph.* Suscipe verbum Virgo Maria, quod tibi à Domino per Angelum Gabrielem transmissum est.

*Psalm.*

*Psalmus.* Benedic anima mea Domino.

*℣.* In conspectu Angelorum psallam tibi Deus meus. *℞.* Adorabo ad templum sanctum tuum, & confitebor nomini tuo.

Lectio S. Evang. secundum Lucam.

*Lectio vii. Cap. i. b.*

**I**N illo tempore : Missus est Angelus Gabriel à Deo in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David, & nomen Virginis Maria. Et reliqua.

Homilia S. Juliani Archiepisc. Toletani,  
*Lib. 2 contra Judæos, statim post princ.*

**S**acramentum illud septuaginta hebdomadarum de Christi nativitate Daniel per Angelum didicit : similiter & Zacharias, apparente sibi Angelo, Joannem filium de se generandum audivit : & Maria, Angelo sibi prædicenti Christum ex se nascendum, & credidit, & assensit. Hæc tria per Angelum dicta, & completa videmus. Jam ergo sollicitè intuendum est, utrùm Angelus iste, qui Zachariæ & Mariæ apparuit, ipsi quoque Danieli illa prædixerit.

*℞.* Missus est Gabriel Angelus ad Mariam Virginem desponsatam Joseph, nuntians ei Verbum : & expavescit Virgo de lumine : Ne timeas Maria ; invenisti enim gratiam apud Dominum : ecce concipies, & paries, & vocabitur Altissimi Filius. *℣.*

¶ Quæ cum audisset, turbata est in sermone eius, & cogitabat qualis esset ista salutatio: & ait Angelus ei. Ne timeas.

*Lectio viii.*

**E**quidem ipse Daniel in prophetiæ suæ volumine, quando illi sacramenta hebdomadarum de Christi nativitate per Angelum futura cognovit, sic ipsius Angeli nomen evidenter expressit. Dicit enim: Ecce vir Gabriel, quem videram in principio, citò volans tetigit me, & dixit: Daniel, animadvertite sermonem, & reliqua, quæ ibi commemorantur. Item his temporibus secundùm Evangelium, Angeli ipsius nomen mirificum sic invenitur expressum. Dixit enim idem Angelus Zachariæ: Ego sum Gabriel, qui asto ante Deum, & missus sum loqui ad te, & hæc tibi evangelizare.

℞. Gaude Maria Virgo, cunctas hæreses sola interemisti: \* Quæ Gabrielis Archangeli dictis credidisti, dum Virgo Deum & hominem genuisti, & post partum, Virgo, inviolata permansisti.

¶ Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui. Quæ. Gloria Patri. Quæ.

*Nona Lectio de Feria occurrente, nisi transferatur post Octav. Paschæ, quia tunc dicitur sequens.*

*Lectio*

## Lectio ix.

**Q**UOD etiam de beatæ Mariæ Virginis partu sic in eodem Evangelio legitur: Missus est, inquit, Angelus Gabriel à Deo in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David, & nomen Virginis Maria. Jam ergo manifestum est, quòd unus, idémque Angelus Gabriel fuerit, qui & præfixa illa tempora Danieli de Christi nativitate aperuit, & partum Virginis præsentem esse monstravit. Ad tempus itaque præfinitum occurrit, & olim à se dicta, operis efficientia completa esse convincit: & illic fidelis in prophetia hebdomadarum, & hic fidelis per mysterium revelatum.

Te Deum laudamus.

## A D L A U D E S.

& per Horas Antiph.

**I**Ngresso Zacharia templum Domini, apparuit ei Gabriel Angelus, stans à altaris incensi. *Psalm.* Dominus regnavit. *cum reliquis.*

*Antiph.* Ait autem Angelus: ne timeas Zacharia, quoniam exaudita est deprecatio tua.

*Antiph.* Ego sum Gabriel Angelus, qui asto ante Deum, & missus sum loqui ad te.

*Antiph.* Gabriel Angelus locutus est Mariæ, dicens: Ecce concipies in utero, & pa-

ries filium : & vocabis nomen ejus *Jesum*.

*Antiph* Dixit autem Maria ad Angelum: Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Et respondens Gabriel Angelus, dixit ei: Spiritus sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi.

*Capitulum. Dan. 9.*

**E**Ccce vir Gabriel, quem videram in visione à principio, cito volans tetigit me in tempore sacrificii vespertini. Et docuit me, & locutus est mihi, dixitque: Daniel, nunc egressus sum ut docerem te, & intelligeres.

H Y M N U S.

**P**Lacare, Christe, servulis,  
Quibus Patris clementiam  
Tuæ ad Tribunal gratiæ  
Patrona Virgo postulat.

Et vos beata, per novem  
Distincta gyros, Agmina;  
Antiqua cum præsentibus,  
Futura damna pellite.

Auferte gentem perfidam  
Credientium de finibus;  
Ut unus omnes unicum  
Ovile nos Pastor regat.

Deo Patri sit gloria,  
Natoque Patris unico,  
Sancto simul Paraclito,  
In sempiterna sæcula. Amen.

Ÿ. Stetit Angelus juxta aram templi.

℞. Habens thuribulum aureū in manu sua.

*Ad Benedictus Antiphona.*

Gabriel Angelus descendit ad Zachariam, & ait illi: Uxor tua pariet tibi filium, & vocabis nomen ejus Joannem, & multi in nativitate ejus gaudebunt: ipse enim præibit ante faciem Domini parare vias ejus.

*Oratio.*

**D**Eus, qui inter cæteros Angelos, ad annuntiandum Incarnationis tuæ mysterium Gabrielem Archangelum elegisti: concede propitius; ut qui festum ejus celebramus in terris, ipsius patrocinium sentiamus in cœlis. Qui vivis & regnas.

*Et sit commem. Fer. si celebr. in Quadrag.*

*Ad Tertiam, Antiphona.*

Ait autem.

*Capitulum. Ecce vir Gabriel. ut supra.*

℞. br. Stetit Angelus, \* Juxta aram templi. Stetit. Ÿ. Habens thuribulum aureum in manu sua. Juxta. Gloria Pat. Stetit.

Ÿ. Ascendit fumus aromatum in conspectu Domini. ℞. De manu Angeli.

*Ad Sextam, Antiphona.*

Ego sum Gabriel.

*Capitulum. Dan. 9.*

**E**Go autem veni, ut indicarem tibi, quia vir desideriorum es. Septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt, ut finem accipiat peccatum, & impleatur visio, & prophetia, & ungatur Sanctus sanctorum. ℞.

*R. br.* Ascendit fumus aromatum, \* In conspectu Domini. Ascendit. *Ps.* De manu Angeli. In conspectu. *Gl. Pat.* Ascendit *Ps.* In conspectu Angelorum psallam tibi, Deus meus. *R.* Adorabo ad templum sanctum tuum, & confitebor nomini tuo.

*Ad Nonam, Antiphona.*

Dixit autem Maria.

*Capitulum.*

*Dan. 9.*

**S**Cito ergo, & animadvertite ab exitu sermonis, ut iterum ædificetur Jerusalem, usque ad Christum ducem hebdomades septem, & hebdomades sexaginta duæ erunt.

*R. br.* In conspectu Angelorum, \* Psallam tibi, Deus meus. In conspectu.

*Ps.* Adorabo ad templum sanctum tuum, & confitebor nomini tuo. Psallam tibi.

*Gloria Patri.* In conspectu.

*Ps.* Adorate Deum. *R.* Omnes Angeli ejus.

*Vesp. de festo Annunc. B. M. V. cum commem. S. Gabrielis, & ser.*

*Antiph.* Archangelus Gabriel ait ad Mariam: Non erit impossibile apud Deum omne verbum. Dixit autem Maria: Ecce Ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum. Et discessit ab ea Angelus.

*Ps.* In conspectu Angelorum psallam tibi, Deus meus. *R.* Adorabo ad templum sanctum tuum, & confitebor nomini tuo.

*Oratio.*

Deus, qui inter cæteros. *ut supra.*

*Et*

Et fit comm. Fer. si celebretur in *Quadrag.*  
Si festum *Annunc. B. M. V. transf. in secundis vesp. S. Gabriel. omn. ut in primis, & loc. ultimi Psalm. Confitebor tibi Domine in toto corde meo : \* quoniam audisti.*

℟. In conspectu Angelorum.

*Antiph. ad Magn. & Oratio, ut suprâ.*

*Feria VI. post Dom. Passionis.*

In Festo Septem Dolorum B. M. V.  
Duplex Maij. ex Decr. i. Mart. 1674.

*Ad vesperas, Antiphona.*

Vadam ad montem. *cum reliq. de Laudib. Psalm. Credidi. cum reliq. ut in Vesp. fer. v. in Cœna Domini.*

*Capitulum.*

*Isa. 53.*

**Q**uis credidit auditu nostro? Et brachium Domini cui revelatum est?  
Et ascendet sicut virgultum coram eo, & sicut radix de terra sitienti.

**H Y M N U S.**

**S**tabat Mater dolorosa,  
Juxta Crucem lacrymosa,  
Dum pendebat Filius.

Cujus animam gementem,  
Contristatam & dolentem,  
Pertransivit gladius.

O quàm tristis & afflicta  
Fuit illa benedicta,

Mater Unigeniti!

Quæ mœrebat, & dolebat,  
Pia Mater dum videbat

Nati pœnas inclyti.

Quis



Quis est homo qui non fleret,  
Matrem Christi si videret,  
In tanto supplicio?

Quis non posset contristari,  
Christi Matrem contemplari,  
Dolentem cum Filio?

Pro peccatis suæ Gentis  
Vidit Jesum in tormentis,  
Et flagellis subditum.

Vidit suum dulcem natum,  
Moriendo desolatum,  
Dum emisit spiritum.

Eia Mater fons amoris,  
Me sentire vim doloris,  
Fac ut tecum lugeam.

Fac ut ardeat cor meum  
In amando Christum Deum,  
Ut sibi complaceam. Amen.

✠. Ora pro nobis Virgo dolorosissima.

℟. Ut digni efficiam. promission. Christi.

*Ad Magnificat, Antiphona.*

Tuam ipsius animam ( ait ad Mariam Si-  
meon ) pertransiuit gladius.

*Oratio.*

**D**Eus, in cuius passione, secundum Si-  
meonis prophetiam, dulcissimam  
animam gloriosæ Virginis & Matris Ma-  
riæ doloris gladius pertransiuit: concede  
propitius; ut, qui transfixionem ejus &  
passionem venerando recolimus, gloriosis  
meritis & precibus omnium Sanctorum  
Chri-

Cruci fideliter astantium intercedentibus,  
passionis tuæ effectum felicem consequamur.  
Qui vivis & regnas.

*Et sit commem. Fer.*

*Ad Complet. & per horas in fine hymnorum  
Jesu tibi sit gloria, qui natus es de Virgine.*

*Ad Matutinum Invitatorium.*

Dolores gloriosæ recolentes Virginis, Do-  
minum pro nobis passum, \* Venite adore-  
mus. *Psalms.* Venite exultemus.

H Y M N U S.

**S**ancta Mater istud agas,  
Crucifixi fige plagas  
Cordi meo validè.

Tui nati vulnerati,  
Tam dignati pro me pati,  
Pœnas mecum divide.

Fac me tecum piè flere,  
Crucifixo condolere,  
Donec ego vixero.

Juxta crucem tecum stare,  
Et me tibi sociare,

In planctu desidero. Amen.

*In I. Nocturno, Antiph.*

Astiterunt reges terræ, & principes con-  
venerunt in unum adversus Dominum, &  
adversus Christum ejus.

*Psalms. 2. Quare fremuerunt Gentes. ex I.  
Noct. Matut. Dom.*

*Antiph.* Voce mea ad Dominum clamavi,  
& exaudivit me de monte sancto suo.

*Psal.*

*Pſalm. 3. Domine quid multiplicati. ibid.*

*Antiph. Factum eſt cor meum tanquam cera liqueſcens in medio ventris mei.*

*Pſalm. 12. Uſquequò Domine oblivifce- ris me in finem. ibid.*

*Ÿ. Poſuit me deſolatam.*

*R. Tota die mœrore confectam.*

De Iſaia Propheta.

*Lectio i. Cap. 53.*

**Q**uis credidit auditui noſtro? Et bra-  
chium Domini cui revelatum eſt?  
Et aſcendet ſicut virgultum coram eo, &  
ſicut radix de terra ſitienti: non eſt ſpeci-  
es ei, neque decor: & vidimus eum, &  
non erat aſpectus, & deſideravimus eum.  
Deſpectum, & noviffimum virorum, virũ  
dolorum, & ſcientem infirmitatem: &  
quaſi abſconditus vultus ejus & deſpectus,  
unde nec reputavimus eum. Verè lan-  
guores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros  
ipſe portavit: & nos putavimus eum quaſi  
leproſum, & percuffum à Deo, & humi-  
liatum. Ipſe autem vulneratus eſt propter  
iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſce-  
lera noſtra: diſciplina pacis noſtræ ſuper  
eum, & livore ejus ſanati ſumus.

*R. Dilectus meus candidus, & rubicun-  
dus, & totus deſiderabilis: \* Omnis enim  
figura ejus amorem ſpirat, & ad redaman-  
dum provocat, caput inclinatum, manus  
expañſæ, pectus apertum.*

*W.* Pijs, ò Virgo, spectas eum oculis, contemplans in eo non tam vulnerum livorem, quàm mundi salutem. Omnis.

*Lectio ii.*

**O**Mnes nos quasi oves erravimus, unusquisque in viam suam declinavit: & posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum. Oblatus est, quia ipse voluit, & non aperuit os suum: sicut ovis ad occisionem ducetur: & quasi agnus coram tondeute se obmutescet, & non aperiet os suum. De angustia & de judicio sublatus est: generationem ejus quis enarrabit? quia abscissus est de terra viventium: propter scelus populi mei percussus eum. Et dabit impios pro sepultura, & divitem pro morte sua: eò quod iniquitatem non fecerit, neque dolus fuerit in ore ejus.

*R.* Manus ejus tornatiles, clavorum cuspidate terebratae, \* Humanæ salutis pretio quasi hyacinthis refertæ. *W.* Cornua in manibus ejus: ibi abscondita est fortitudo ejus. sunt enim manus ejus. Humanæ.

*Lectio iii.*

**ET** Dominus voluit conterere eum in infirmitate: si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum, & voluntas Domini in manu ejus dirigetur. Pro eo quod laboravit anima ejus, videbit & saturabitur: inscientia sua justificabit ipse justus servus meus multos, & ini-

quitates eorum ipse portabit. Ideo disper-  
tiam ei plurimos & fortium dividet spolia,  
pro eo quòd tradidit in mortem animam  
suam, & cum sceleratis reputatus est: &  
ipse peccata multorum tulit, & pro trans-  
gressoribus rogavit.

**R.** Diligebat Jesus Joannem, quoniam  
specialis prærogativa castitatis ampliori di-  
lectioe fecerat dignum: \* Quia Virgo e-  
lectus ab ipso, virgo in ævum permansit.

**Y.** In Cruce denique moriturus huic  
matrem virginem virgini comendavit.  
Quia. Gloria Patri. Quia.

In II Nocturno. *Antiph.*

Inimici mei dixerunt mala mihi: quando  
moriatur, & peribit nomen ejus.?

*Psalms.* 40. Beatus qui intellig. *ex mat. ser. 3.*

*Antiph.* Deus vitam meam annuntiavi tibi:  
posuisti lacrymas meas in conspectu tuo.

*Psalms.* 55. Miserere mei Deus, quoniam  
conculcavit me homo. *ex matut. ser. iv.*

*Antiph.* Filij hominum, dentes eorum ar-  
ma & sagittæ: & lingua eorum gladius  
acutus.

*Psalms.* 56. Miserere mei Deus, miserere  
mei: quoniam in te confidit. *ibid.*

**Y.** Facies mea intumuit à fletu. **R.** Et pal-  
pebræ meæ caligaverunt.

Sermo sancti Bernardi Abbatis.

*Ex Serm de 12. stellis. Lectio iv.*

**M**artyrium Virginis tam in Simeonis  
pro-

prophetia, quàm in ipsa Dominicæ Passio-  
nis historia commendatur. Positus est hic  
( ait sanctus senex de puero Jesu ) in signū  
cui contradicetur ; & tuam ipsius animam  
( ad Mariam autem dicebat ) pertransibit  
gladius. Vere tuam, ò beata Mater, ani-  
mam pertransivit. Alioquin non nisi eam  
pertransiens, carnem filij tui penetraret.  
Et quidem posteaquam emisit spiritum tu-  
us ille Jesus, ipsius planè non attigit ani-  
mam crudelis lancea, quæ ipsius aperuit  
latus, sed tuam utique animam pertransi-  
vit. Ipsius nimirum anima jam ibi non e-  
rat, sed tua planè inde nequibat avelli.

*R.* Tenebræ factæ sunt, cùm crucifixif-  
sent Jesum Judæi, & circa horam nonam  
exclamavit Jesus voce magna: Deus me-  
us, ut quid dereliquisti me? \* Et inclina-  
to capite emisit spiritum. *V.* Quis tibi nunc  
sensus, dum cernis talia, Virgo? Et inclin.

*Lectio v.*

**T**Uam ergo pertransivit animam vis do-  
loris, ut plusquam Martyrem non  
immeritò prædicemus, in qua nimirum  
corporeæ sensum passionis excesserit com-  
passionis affectus. An non tibi plusquam  
gladius fuit sermo ille, revera pertransiens  
animam, & pertingens usque ad divi-  
sionem animæ & spiritus: Mulier, ecce filius  
tuus? O commutationem! Joannes tibi  
pro Jesu traditur, servus pro Domino, di-

scipulus pro Magistro, Filius Zebedæi pro filio Dei, homo purus pro Deo vero. Quomodo non tuam affectuosissimam animam pertransiret hæc auditio, quando & nostra licet saxea, licet ferrea pectora, sola recordatio scindit.

*R.* Passio Domini, \* Ipsam ejus matrē, carnali orbitate graviter percussam, vehementissimè contristavit. *ψ.* Ferrum lanceæ militaris, latus quidem Salvatoris; animam verò, transivit Virginis matris. Ipsam ejus.

*Lectio vi.*

**N**ON miremini, fratres, quod Maria martyr in anima fuisse dicatur. Miretur qui non meminerit se audivisse Paulum inter maxima gentium crimina memorantem, quod sine affectione fuissent. Longè id fuit à Mariæ visceribus, longe sit à servulis ejus. Sed fortè quis dicat? Numquid non eum præscierat moriturum? Et indubitanter. Numquid non sperabat continuo resurrecturum? Et fideliter. Super hæc doluit crucifixum? Et vehementer. Alioquin quisnam tu frater, aut unde tibi hæc sapientia, ut mireris plus Mariam patientem, quàm Mariæ filium patientem? Ille etiam mori corpore potuit; ista comori corde non potuit? Fecit illud charitas, qua majorem nemo habuit: fecit & hoc charitas, cui post illam similis altera non fuit.

*R.* Quis

**R.** Quis mihi det te fratrem meum surgentem ubera Matris meæ, & inhærendo lateri tuo, ut sanguis tuus sanguinem meum tangat, & tergat: \* Ut fons aquæ tuæ de scaturigine recti cordis, per venas boni operis, in finem æternæ felicitatis exiliat?

**V.** Filij tui de longe venient, & Filia tuæ de latere surgent. Ut. Gl. Pat. Ut.

In III. Nocturno.

*Antiph.* Intenderunt arcum, rem amarã, ut sagittent in occultis immaculatum.

*Psalms.* 63. Exaudi Deus orationem meam cum deprecor. *ex matut. fer. iv.*

*Antiph.* Factus sum sicut homo sine adjutorio, inter mortuos liber.

*Psalms.* 87. Domine Deus salutis meæ. *ex matut. fer. vi.*

*Antiph.* Replevit me amaritudine, inebriavit me absynthio.

*Psalms.* 108. Deus laudem meam ne taceris. *ex matut. Sabbati ultimus.*

**V.** Deus vitam meam annuntiavi tibi.

**R.** Posuisti lacrymas meas in conspectu tuo.

*Lectio S. Evang. secundum Joan.*

*Lectio vii. Cap. 19.*

**I**N illo tempore: Stabant juxta Crucẽ Jesu Mater ejus, & Soror matris ejus Maria Cleophæ, & Maria Magdal. *Et reliq.* Homil. S. August. Ep. *Tract.* 119. *in Joan.*

**H**Æc nimirum est illa hora, de qua Jesus aquam conversurus in vinum, dixit.



dixerat Matri: quid mihi & tibi est Mulier? Nondum venit hora mea. Hanc itaque horam prædixerat, quæ tunc nondum venerat, in qua deberet agnoscere moriturus, de qua fuerat mortaliter natus. Tunc ergo divina facturus, non divinitatis, sed infirmitatis matrem velut incognitam repellebat. Nunc autem humana jam patiens, ex qua fuerat factus homo, affectu comendabat humano. Moralis igitur insinuatur locus. Facit quod faciendum admonet, & exemplo suo suos ministros instruxit præceptor bonus, ut à filiis piis impendatur cura parentibus: tamquam lignum illud, ubi fixa erant membra morientis, etiam cathedra fuerit Magistri docentis.

*R.* Doleo super te fili mi Iesu, decorus nimis, & amabilis super amorem mulierum! \* Sicut enim mater unicum diligit filium, ita ego te diligebam. *Ps.* Defecit in dolore vita mea, & anni mei in gemitibus. Sicut.

*Lectio viii.*

**E**X hac sana doctrina didicerat Paulus Apostolus, quod docebat, quando dicebat: Siquis autem suis, & maximè domesticis non providet, fidem negavit, & est infideli deterior. Quid autem tam cuique domesticum, quàm parentes filijs, aut parentibus filijs? Hujus itaque saluberrimi præcepti ipse Magister sanctorum de seipso constituebat exemplum: quando non ut

famili-

famulæ Deus, quam creaverat, & regebat; sed ut matri homo, de qua creatus fuerat, & quam relinquebat, alterum pro se quodammodo filium providebat.

*R.* Eia Mater fons amoris, fac nos sentire vim doloris, ut tecum lugeamus: \* Et Dominicæ Passionis fructum sentiamus.

*Ÿ.* Et sicut filius tuus Jesus pro nobis mortuus est, & resurrexit; ita & nos commortui cum eodem resurgamus. Et. Glor. Pat. Et. 9. *Lect. Fer.*

## A D L A U D E S.

*& per Hor. Antiph.*

**V** Adam ad mortem myrrhæ, & ad collem thuris.

*Psalms.* Dñs regnavit. *cum reliq. de Domin.*

*Antiph.* Dilectus meus candidus, & rubicundus: comæ capitis ejus sicut purpura Regis vincta canalibus.

*Antiph.* Quo abiit dilectus tuus, ò pulcherrima mulierum? quo dilectus tuus declinavit?

*Antiph.* Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur.

*Antiph.* Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo.

*Capitulum* *Isaie. 53.*

**Q**uis credidit auditui nostro? & brachium Domini cui revelatum est? Et ascendet sicut virgultum coram eo, & sicut radix de terra sitienti.

**HYM.**

## H Y M N U S.

**V**irgo Virginum præclara,  
 Mihi jam non sis amara,  
 Fac me tecum plangere.

Fac ut portem Christi mortem,  
 Passionis fac confortem,  
 Et plagas recolere.

Fac me plagis vulnerari,  
 Fac me Cruce inebriari  
 Et cruore filij.

Flammis ne urar succensus,  
 Per te Virgo sim defensus,  
 In die judicij.

Christe, cum sit hinc exire,  
 Da per Matrem me venire  
 Ad palmam victoriæ.

Quando corpus morietur,  
 Fac ut animæ donetur  
 Paradisi gloria. Amen.

*V.* Ora pro nobis Virgo dolorosissima.

*R.* Ut digni efficiamur promission. Christi.

*Ad Benedictus, Antiph.*

Cum vidisset Jesus matrem stantem juxta  
 crucē, & discipulum quem diligebat, dicit  
 matri suæ: Mulier, ecce filius tuus. De-  
 inde dicit discipulo: Ecce mater tua.

*Oratio.*

**D**eus, in cujus passione, secundum Si-  
 meonis prophetiam, dulcissimam  
 animam gloriosæ virginis, & matris Ma-  
 riæ doloris gladius pertransivit: concede  
 pro-

propitius; ut qui transfixionem ejus & passionem venerando recolimus, gloriosis meritis & precibus omnium sanctorum Crucifideliter astantium intercedentibus, passionis tuæ effectum felicem consequamur. Qui vivis & regnas. *Et fit cōmem. Ferie.*

*Ad Primam Antiph.* Vadam ad montem.

*R. br.* Christe Fili Dei vivi, \* Miserere nobis. *Christe. V.* Qui passus es pro homine. Miserere nobis. Gloria Patri. Christe Fili Dei vivi, Miserere nobis.

*V.* Exurge Christe, adjuva nos.

*R.* libera nos propter nomen tuum.

*Ad tertiam Antiph.* Dilectus meus.

*Capit.* Quis credidit. *ut supra.*

*R. br.* Posuit me, \* Desolatam. Posuit.

*V.* Tota die mœrore confectam. Desolatam. Gloria Patri. Posuit.

*V.* Facies mea intumuit à fletu.

*R.* Et palpebræ meæ caligaverunt.

*Ad Sextam Antiph.* Quo abiit.

*Capitulum.*

*Isaia' 53.*

**I**Pse vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra. Disciplina pacis nostræ super eum, & livore ejus sanati sumus.

*R. br.* Facies mea, \* Intumuit à fletu.

Facies mea. *V.* Et palpebræ meæ caligaverunt. Intumuit. Glor. Pat. Facies mea.

*V.* Deus vitam meam annuntiavi tibi. *R.* Posuisti lachrymas meas in conspectu tuo.

*Ad Nonam Antiph.* Fulcite me floribus.

*Capitulum. Isaia 53.*

**G**enerationem ejus quis enarrabit? quia abscissus est de terra viventium: propter scelus populi mei percussus eum.

*R. br.* Deus vitam meam, \* Annuntiavi tibi. Deus vitam. *Y.* Posuisti lacrymas meas in conspectu tuo. Annuntiavi. Gloria Patri. Deus vitam.

*Y.* Ora pro nobis Virgo dolorosissima.

*R.* Ut digni efficiamur promission. Christi.

*In secundis vesperis omnia ut in primis.*

*Ad Magnificat, Antiph.*

Cum vidisset Jesus matrem stantem juxta crucē, & discipulum quem diligebat, dicit matri suæ: Mulier, ecce filius tuus. Deinde dicit discipulo: Ecce mater tua.

*Et fit commemor. Feria.*

## FESTA APRILIS.

*Feria VI. post Dom. in Albis.*

In Festo de Clavis & Lancea Domini.

Duplex 2. class. per Germaniam.

*Ad Vesperas, Antiph.*

Hasta Regem gloriæ. *cum reliq. de Laud.*

*Psalms.* Dixit Dominus. *cum reliq. de Dom.*

*G loco ult. Psalm.* Laudate Dñm omn. gent.

*Capitulum. Sap. 5.*

**S**umet Dominus scutum inexpugnabile æquitatem: acuet autem duram iram in lanceam, & pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos.

HYM-

## H Y M N U S.

**P** Ange lingua gloriosæ  
Lanceæ præconium,  
Quæ reclusit præciosæ  
Cataractæ fluvium  
Passo Christo dolorosè  
Pro salute gentium.

**H**asta gazis præoptata,  
Mundi pandit pretium  
Cordis tactu præparata,  
Fit sagitta fortium :  
Arma clavi sunt beata ,  
Contra vires dæmonum.

**D**ulcis Hasta DEI Latus  
Spoliâsti sanguine ,  
Dulces Clavi , qui reatus  
Expurgâstis flumine ;  
Ut sit mundus emundatus ,  
Et sanatus vulnere.

**H**asta fulcit Viatores.  
Et timentes animat,  
Et ostenso bellatores  
Cordis succo roborat ;  
Clavus firmat , & dat tores,  
Puffillòsque recreat.

**J**ESU victor inferorum ,  
Qui triumphas Lanceâ,  
Et virtute qui Clavorum  
Restaurâsti omnia :  
Fac , ut horum nos armorum  
Muniant præsidia. Amen.

℣. Accipiet armaturam zelus illius, alleluja. ℞. Et armabit creaturam ad ultionem inimicorum, alleluja.

*Ad Magnificat, Antiph.*

Gaude pia plebs justorum, omne genus Germanorum, tantis de muneribus: nam clenodia salutis, tibi dedit Rex virtutis, suis de vulneribus; Clavos, Lanceam, & Crucem, ut sequaris Christum ducem, Alleluja.

*Oratio.*

**D**Eus, qui in assumptæ carnis infirmitate, Clavis affigi, & Lanceâ vulnerari pro mundi salute voluisti: concede propitius; ut qui eorundem Clavorû, & Lanceæ solemnia veneramur in terris, de glorioso victoriæ tuæ triumpho gratulemur in cœlis. Qui vivis & regnas cum Deo Patre.

*Ad Matutinum Invitatorium.*

Cœlestis Regis Lanceam venite adoremus: \* Et pro Clavis ejus Christo jubilemus, Allel. *Psalms.* Venite exultemus.

H Y M N U S.

**P**Aschali jubilo sonent præconia  
 Armorum Domini, per quæ victoria  
 Venit Christicolis; sint in memoria  
 Crux & Clavi & Lancea.

Crux apud inferos spoliat tartara,  
 Lancea Superis tribuit præmia,  
 Clavi confociant cœlos & infima,  
 Fletum mutant lætitiâ.

Clavus dum figitur in Dei manibus,  
Et dum demergitur in sacris pedibus,  
Hasta dum fodicat latus, hominibus  
Manat gratiæ fluvius.

Lancea sæviens in Dei pectore,  
Et inde proferens aquam cum sanguine,  
Mundum lætificat impetûs flumine ;  
Omnes ad aquas currite.

Te summa Deitas cœlum magnificat,  
Ordo Seraphicus laudibus insonat,  
His noster pariter cœtus se misceat,  
Et in sæcula te canat. Amen.

In I. Nocturno.

*Antiph.* Exaltatur Crucis lignum, dum  
Christus occubuit lanceatus, à maligno  
hoste nos eripuit, Alleluja.

*Psalm.* Beatus vir, qui non abiit. Quare  
fremuerunt gentes. Domine quid multi-  
plicati sunt. *ut in fest. Invent. S. Crucis, sub  
una Antiphona.*

Ÿ. Tuam Lanceam adoramus Domine,  
Alleluja. R. Tuam gloriosam Passionem  
recolimus, Alleluja.

De libro secundo Paralipomenon.

*Lectio i. Cap. 9.*

**F**ecit igitur Rex Salomon ducentas ha-  
stas, de summa sexcentorum aureo-  
rum, qui in singulis hastis expendebantur.  
Trecenta quoque scuta aurea, trecentorū  
aureorum, quibus tegebantur singula scu-  
ra



ta: posuitque ea Rex in armamentario, quod erat confitum nemore.

**R.** Videte gloriosa loca clavorum, & latus meum Lanceâ perforatum, pro salute mundi. \* Palpate, & videte, quia ego ipse sum, Alleluja, Allel.

**V.** Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit. Palpate.

De Libro Sapientia.

*Lectio ii. Cap. 5.*

**E**T accipiet armaturam zelus illius, & armabit creaturam ad ultionem inimicorum. Induet pro thorace iustitiam, & accipiet pro galea iudicium certum. Sumet scutum inexpugnabile æquitatem. Acuet autem duram iram in lanceam, & pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos.

**R.** Latus ejus aperuit, Alleluja: patefecit ostium vitæ, \* Alleluja, Alleluja.

**V.** Ingrediatur illud, Alleluja, Allel.

De Epist. B. Pauli Apost. ad Ephes.

*Lectio iii. Cap. 6.*

**I**nduite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli: quoniam non est nobis colluctatio adversus carnem & sanguinem, sed adversus principes & Potestates, adversus mundi Rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitia in cœlestibus. Propterea accipite armaturam Dei, ut possitis resistere in die malo, & in omnibus perfecti stare. State ergò succincti lum-

lumbos vestros in veritate, & induti loriam justitiæ, & calceati pedes in præparationem Evangelii pacis, in omnibus fumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere; & galeam salutis assumite, & gladium Spiritûs, quod est Verbum DEI.

*R.* Inter Clavos Christus in Cruce separatus est, \* Allel. Allel. Allel.

*V.* Et in sancta resurrectione mundus in ejus laudibus vigilavit. Allel. Gl. Pat. Allel.

In II. Nocturno.

*Antiph.* Tuam Lanceam adoramus Dñe: & tuam gloriosam Passionẽ recolimus, All.

*Psalmi.* Cùm invocarem. Verba mea. Domine Dominus noster. *ut in secundo Nocturno de Invent. S. Crucis.*

*V.* Verè languores nostros ipse tulit, Allel.

*R.* Et dolores nostros ipse portavit, Allel.

Sermo Innocentii Papæ VI.

*In Decreto de Festo Lanc. & Clavor. Dni.*

*Lectio iv.*

**I**N Redemptoris nostri Domini JESU Christi Sacratissima Passione, sic nos gloriari oportet, ut ipsius Passionis cuncta mysteria dinumerantes & merita, singulis etiam ejus salutaribus instrumentis gloriemur. Inter quæ illud celebriter memorandum est; quòd ipse Salvator emisso in Cruce jam spiritu, sustinuit perforari Lanceâ Latus suum, ut inde sanguinis & aquæ profluentibus undis, formaretur unica &

immaculata ac Virgo sancta Mater Ecclesia sponsa sua. O beatissima ipsius sacri Lateris apertura, unde nobis tot, & tanta Divinae pietatis dona fluxerunt! O felix Lancea, quae tot bona nobis efficere, & ad tanti triumphi gloriam meruit superaddi!

*R.* Surge virgo Ecclesia, Sponso redde munia; tui Clavi grata imprimunt vestigia, per quae ruit infernalis Sisara. \* Nam clavum Jahel malleo fixit in ejus tempora, Alleluja, Allel. *Y.* Dulces Clavi pungite corda nostra. Nam clavum.

*Lectio v.*

**H**Æc Latus ipsum aperiendo, sacratissimas januas nobis regni cœlestis aperuit. Hæc vulnerando jam mortuum, vulnera nostra sanavit, vitamque nobis reddidit, & salutem. Hæc innoxium transfigendo, illius sanguine culpas nostras absterfit; & demùm ejusdem sacratissimis undis irrigata, cœcitatæ nostræ tenebras sustulit, & nos ipsius Divinae pietatis fluviis mundavit. Illi etiam dulces Clavi, quibus ipse Salvator eidem Cruci fuit affixus, quique non solum immaculato respergi Sanguine, & molem ferre tanti ponderis meruerunt, sed & nos etiam per ipsorum salutiferas plagas dulcedinem tantam ipsius Divinae charitatis accepimus, ut manus nostræ à peccati solutæ nexibus, pedesque nostri à mortis laqueis fuerint liberati, sunt devotissimè recolendi. *R.* Ha-

*R.* Hasta nitet margaritis nimis coruscantibus, \* Alleluja, allel. allel. *Y.* Mucro gemmis infinitis sanguine vernantibus. Alleluja. *Lectio vi.*

**Q**uid enim vulnere & plagis hujusmodi sanctius? Quid eis salubrius, ex quibus salus nostra processit, & in quibus assidue se possunt curare animæ devotorum? Licet igitur Lancea, & Clavi prædicti, aliæque ipsius passionis salutaria instrumenta sint à cunctis fidelibus Christi ubilibet veneranda, & de ipsa etiam passione in eadem Ecclesia solemnia annis singulis officia celebrentur & fiant: dignum tamen & conveniens reputamus, si de ipsius passionis specialibus instrumentis, & præsertim in partibus, in quibus instrumenta ipsa dicuntur haberi, solemne ac speciale festum celebretur, & fiat: Nosque illos fideles Christi, qui aliqua ex instrumentis ipsis habere se gaudent, ut eorum devotionem, divinis officiis, atque muneribus specialiter foveamus.

*R.* Jesus nostra spes suavis ab uberibus, \* Alleluja, allel. allel. *Y.* Pro nobis fofus Clavis in palmis atque pedibus. Alleluja. Gloria Patri. Alleluja.

In III. Nocturno.

*Antiph.* Tu Christe nostrum gaudium, de Lanceato latere, da oris mellicidium, ardenti corde sugere, alleluja.

*Psalmi. Cantate. Dominus regnavit. Cantate. ut in iii. Noct. de commun. Virg.*

¶ Omnis terra adoret te, & psallat tibi, alleluja. R. Psalmum dicat nomini tuo Domine, alleluja.

Lectio sancti Evang. secundum Joan.

*Lectio vii. Cap. 19.*

**I**N illo tempore: Sciens Jesus, quia omnia consummata sunt, ut consumaretur Scriptura, dixit: Sitio. Et reliqua.

Homilia S. Augustini Episc.

*Tractatu 102. in Joannem.*

**U**Nus militum Lancea latus ejus aperuit, & continuo exivit sanguis & aqua. Vigilanti verbo Evangelista usus est, ut non diceret: Latus ejus percussit, aut vulneravit, aut quid aliud, sed aperuit; ut illud quodammodo vitæ ostium panderetur, unde Sacramenta manaverunt, sine quibus ad vitam, quæ vera vita est, non intratur. Ille sanguis, qui fusus est, in remissionem fusus est peccatorum. Aqua illa salutaris temperat poculum, hæc & lavacrū præstat & potum. Hoc prænuntiabat, quòd Noe in latere arcæ ostium facere iussus est, quo intrarent animalia quæ non erant diluvio peritura, quibus figurabatur Ecclesia.

R. Vibrans miles lanceam acutissimam aperuit templum sanctum gloriæ Dei: \* In quo habitat plenitudo Divinitatis, Alleluja, allel.

¶. Ibi

¶ Ibi abscondita est fortitudo ejus : ante faciem ejus ibit mors. In quo.

*Lectio viii.*

**P**ROPTER hoc prima mulier facta est de latere viri dormientis ; & appellata est vita, matérque vivorum, magnúmque signavit bonum ante magnum prævaricationis malum : & secundus Adam inclinato capite in Cruce dormivit , ut inde formaretur ei conjux, quæ de latere dormientis effluxit. O mors unde mortui reviviscunt ! quid isto sanguine mundius ? quid vulnere isto salubrius ? Facta sunt enim hæc , inquit , ut Scriptura impleretur : Os non comminuetis ex eo. Et iterum alia Scriptura dicit : Videbunt in quem transfixerunt.

℞. Tuam Lanceam adoramus Domine, alleluja : tuam gloriosam recolimus passionem, \* Alleluja, allel. allel.

¶ Hasta Regem gloriæ cruentavit Christum. Allel. Gloria Pat. Allel.

*Lectio ix.*

**D**UO testimonia de Scripturis singulis reddidit, quasi facta fuissent, narravit. Nam quia dixerat : Ad Jesum autem cum venissent, ut viderunt eum jam mortuum, non fregerunt ejus crura ; ad hoc pertinet testimonium : Os non comminuetis ex eo : quod præceptum est eis, qui celebrare Pascha jussi sunt, ovis immolatione, in veteri lege , quæ Dominicæ passionis umbra

præcesserat. Unde Pascha nostrum immo-  
latus est Christus, de quo Isajas Propheta  
dixerat: Sicut ovis ad occisionem ductus  
est. Item, quia subjunxerat, dicens: Sed  
unus militum Lancea latus ejus aperuit;  
ad hoc pertinet alterum testimonium: Vi-  
debunt in quem transfixerunt. Ubi pro-  
missus est Christus, in ea, qua crucifixus  
est, carne venturus. Te Deum.

A D L A U D E S,

& per Horas Antiphona.

**H**Asta Regem gloriæ Christum cruen-  
tavit, dum crucis in arbore Domi-  
nus regnavit, alleluja.

*Psalm.* Dominus regnavit. *cum rel. de Dom.*

*Antiph.* Hanc tremendam Lanceam om-  
nes adoremus, & in ejus laudibus semper  
jubilemus, alleluja.

*Ant.* Unus militū Lancea latus ejus aperu-  
it, & continuò exivit sanguis & aqua, allel.

*Antiph.* Fui mortuus, & ecce sum vivens  
in sæcula sæculorum, allel.

*Antiph.* Sempiterna gaudia Christus tunc  
donavit, cū Clavis & Lancea mortem  
superavit, alleluja.

*Capitulum.* Sumet Dominus. *ut supra.*

H Y M N U S.

**V**erbum supernum prodiens,  
Salvare quod perierat,  
Hasta Clavisque moriens  
Complevit ad quod venerat.

O gloriosa Lancea !

Timor tremorque dæmonum ;

Regna pandis fiderea ,

Per sanctæ necis meritum.

De Clavorum stigmatibus

Emanat mundi pretium ,

E cunctis aromatibus

Spirans odorem cœlicum.

In corde Christi mergitur

Mucro leone sævior :

De forti fons exoritur ,

Cibusque melle dulcior.

In Natum Pater phialam

Effudit iracundiæ,

Ut nobis cœnam maximam

Gratis suæ det gloriæ.

O Christe , nostrum gaudium,

De vulnerato latere

Da lac, & vinum depluum

Ardente corde sugere.

Precamur , Auctor omnium :

Tu nostra sis refectio :

Tuorum quoque meritum

Armorum , sis protectio. Amen.

℣. Per sanctam Lanceam de inimicis nostris, allel. ℞. Libera nos Deus noster, allel.

*Ad Benedictus, Antiphona.*

O felix & omni laude digna Lancea Salvatoris , quæ per transiens latus ejus , chirographū peccati affixit patibulo Crucis, allel.

*Oratio.* Deus, qui in assumptæ. *ut supra.*



*Ad Primam, Antiphona.*

Hasta Regem gloriæ.

*Psalmi.* Deus in nomine tuo. *cum reliquis.*

*Capitul.* Regi sæculorum.

*R. br.* Christe Fili Dei vivi, miserere nobis, \* Alleluja, alleluja. Christe Fili Dei.

*V.* Qui vulneratus es pro nobis. *V.* Allel. allel. Gloria Patri. *R.* Christe Fili Dei.

*Ad Absol. Capituli, Lectio brevis.* Ego sum primus. *ut infra ad Nonam.*

*Ad Tertiam, Antiphona.*

Hanc tremendam Lanceam.

*Capitul.* Sumet Dominus.

*R. br.* Apprehende arma, & scutū, \* Alleluja, alleluja. Apprehende arma.

*V.* Et exurge in adiutorium mihi. Alleluja, alleluja. Gloria Patri. Apprehende.

*V.* Foderunt manus meas & pedes meos, alleluja. *R.* Dinumeraverunt omnia ossa mea, alleluja.

*Ad Sextam, Antiphona.*

Unus militum.

*Capit. Apoc. i.*

**G**Ratia vobis, & pax ab eo, qui est, & qui erat, & qui venturus est, & à Jesu Christo, qui est testis fidelis, primogenitus mortuorum, & princeps regum terræ, qui dilexit nos, & lavit nos à peccatis nostris in sanguine suo.

*R. br.* Foderunt manus meas, & pedes meos, \* Alleluja, allel. Foderunt.

*V.* Dinumeraverunt omnia ossa mea. Allel. allel. Gl. Pat. Foderunt. *V.*

*V.* Quem tu percussisti, persecuti sunt, alleluja. *R.* Et super dolorem vulnerum meorum addiderunt, alleluja.

*Ad Nonam, Antiphona.*

Sempiterna gaudia.

*Capitulum. Apoc. I.*

**E**GO sum primus & novissimus, & vivus, & fui mortuus: & ecce sum vivens in sæcula sæculorum.

*R. br.* Quem tu percussisti, persecuti sunt, \* Alleluja, allel. Quem tu. *V.* Et super dolorem vulnerum meorum addiderunt. Alleluja, allel. Glor. Pat. Quem tu.

*V.* Ipse vulneratus est propter iniquitates nostras, alleluja. *R.* Attritus est propter scelera nostra, alleluja.

*In ii. Vesperis omnia ut in primis. & loco ultimi, Psalm. Credidi.*

*Ad Magnificat, Antiphona.*

Collaudemus Christi clementiam, qui per gloriosos Clavos & Lanceam dat Ecclesiæ de inimicis victoriam, & in cælo vitam & coronam perpetuam, alleluja.

---

*IV. Aprilis.*

In Festo S. ISIDORI Episc. Conf. Doct.  
Duplex ex Decr. 25. April. 1722.

*Omnia de com. Conf. Pont. præter sequentia.*

*Ad Magnif. in utrisq. Vesp. Antiph.*

O Doctor optime, Ecclesiæ sanctæ lumen, beate Isidore, divinæ legis amator, deprecare pro nobis Filium Dei. *Ora-*

**D**Eus, qui populo tuo æternæ salutis beatum Isidorum Ministrum tribuisti: præsta quæsumus; ut quem doctorem vitæ habuimus in terris, Intercessorem habere mereamur in cælis. Per Dominum.

*Et fit com. Feriæ, si celebretur in Quadrag.*

*In I. Nocturno, Lect. Sapientiam omnium. ut in communi Doctorum.*

*In II. Nocturno. Lectio iv.*

**I**Sidorus natione Hispanus, Doctor egregius, ex nova Carthagine Severiano Patre Provinciæ Duce natus, à Sanctis Episcopis Leandro Hispalensi, & Fulgentio Carthaginensi fratribus suis piè, & liberaliter educatus, Latinis, Græcis, & Hebraicis litteris, divinisque, & humanis legibus instructus, omni scientiarum, atque Christianarum virtutum genere præstantissimus evasit. Adhuc adolescens hæresim Arianam, quæ gentem Gothorum Hispaniæ latissimè dominantem jam pridè invaserat, tanta constantia palàm oppugnavit, ut parùm abfuerit, quin ab Hæreticis necaretur. Leandro vita functo ad Hispalensem Cathedram invitus quidem, sed urgente in primis Reccaredo Rege, magnóque etiam Cleri, Populique consensu assumitur, ejusque electionem sanctus Gregorius Magnus, nedum auctoritate Apostolica confirmasse, sed & electum transmissio

misso de more pallio decorasse, quin etiam suum, & Apostolicæ Sedis in universa Hispania Vicarium constituisse perhibetur.

*R.* Inveni David *ut supra pag. 3. in festo S. Petri Chrysologi.*

*Lectio v.*

**I**N Episcopatu quantum fuerit constans, humilis, patiens, misericors, in Christiana & Ecclesiastica disciplina instauranda sollicitus, eaque verbo, & scriptis stabilenda indefessus, atque omni demum virtutum ornamento insignitus, nullius lingua enarrare sufficeret. Monastici quoque instituti per Hispaniam promotor, & amplificator eximius plura construxit Monasteria, Collegia itidem ædificavit, ubi studiis sacris, & lectionibus vacans, plurimos discipulos, qui ad eum confluebant, erudit; quos inter Sancti Ildefonsus Toletanus, & Braulio Cæsaraugustanus Episcopi emicuerunt. Coacto Hispali Concilio, Acephalorum Hæresim Hispaniæ jam minitantem, acri, & eloquenti disputatione fregit, atque contrivit. Tantam apud omnes sanctitatis, & doctrinæ famam adeptus est, ut elapso vix ab ejus obitu sextodecimo anno, universa Toletana Synodo duorum supra quinquaginta Episcoporum plaudente, ipsoque etiam sancto Ildefonso suffragante, Doctor egregius, Catholicæ Ecclesiæ novissimum decus, in sæculorum

ne doctissimus, & cum reverentia nominandus appellari meruerit: eumque sanctus Braulio non modò Gregorio Magno comparaverit, sed & erudiendæ Hispaniæ loco Jacobi Apostoli cœlitus datum esse censuerit.

℞. Posui adjutorium. *ut supra pag. 4.*

*Lectio vi.*

**S**cripsit Isidorus libros Etymologiarum, & de Ecclesiasticis Officiis, aliòsque quamplurimos Christianæ, & Ecclesiasticæ disciplinæ adèdò utiles, ut Sanctus Leo Papa quartus ad Episcopos Britanniæ scribere non dubitaverit, sicut Hieronymi, & Augustini, ita Isidori dicta retinenda esse, ubi contigerit inusitatum negotium, quod per Canones minimè definiri possit. Plures etiam ex ejusdem scriptis sententiæ inter Canonicas Ecclesiæ leges relatæ conspiciuntur. Præfuit Concilio Toletano quarto, omnium Hispaniæ celeberrimo. Denique cùm ab Hispania Arianam hæresim eliminasset, morte sua, & regni vastatione à Saracenorum armis publicè prænuntiata, postquam quadraginta circiter annos suam rexisset Ecclesiam, Hispali migravit in Cœlum anno sexcentesimo trigesimo sexto. Ejus corpus inter Leandrum fratrem, & Florentiam sororem, ut ipse mandaverat, primò conditum, Ferdinandus primus, Castellæ & Legionis Rex ab Eneto Saraceno

ceno Hispali dominante magno pretio redemptum Legionem transtulit, & in ejus honorem Templum ædificatum est, ubi, miraculis clarus, magna populi devotione colitur.

*R.* Iste est. *ut supra pag. 5.*

*In III. Nocturno.*

Lectio S. Evang. secundum Matthæum.

*Lectio vii. Cap. 5.*

**I**N illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Vos estis sal terræ. Quòd si sal evanuerit, in quo salietur? Ad nihilum valet ultrà, nisi ut mittatur foras, & conculcetur ab hominibus. Et reliqua.

Homilia S. Isidori Episcopi.

*Ex lib. 2. Officior. ad S. Fulgentium cap. 5.*

**Q**ui in erudiendis, atque instituendis ad virtutē populis præerit, necesse est ut in omnibus Sanctus sit, & in nullo reprehensibilis habeatur. Qui enim alium de peccatis arguit, ipse à peccato debet esse alienus. Nam qua fronte subjectos arguere poterit, cùm illi statim possit correctus ingerere, Antè doce te quæ recta sunt? Primitùs quippe semetipsum corrigere debet, qui alios ad benè vivendum admonere studet, ita ut in omnibus semetipsum formā vivendi præbeat, cunctòsque ad bonum opus, & doctrina, & opere provocet. Cui etiam scientia scripturarum necessaria est. Quia si Episcopi tantùm sancta sit vita, sibi

foli prodest, sic vivens. Porrò si & doctrina, & sermone fuerit eruditus, potest cæteros quoque instruere, & docere suos, & adversarios repercutere: qui nisi refutati fuerint, atque convicti, facilè possunt simplicium corda pervertere.

*R.* Amavit eum Dominus, & ornavit eum: stolam gloriæ induit eum, \* Et ad portas paradisi coronavit eum.

*Y.* Induit eum Dominus loricam fidei, & ornavit eum. Et ad portas.

*Lectio viii.*

**H**Ujus sermo debet esse purus, simplex, apertus, plenus gravitatis, & honestatis, plenus suavitatis, & gratiæ, tractans de mysterio legis, de doctrina fidei, de virtute continentia, de disciplina justitiæ: unumquemque admonens diversa exhortatione, juxta professionem, morumque qualitatem, scilicet, ut prænoscat quid, cui, quando, vel quomodo proferat. Cujus præ cæteris speciale Officium est, scripturas legere, percurrere Canones, exempla Sanctorum imitari, vigiliis, jejniis, orationibus incumbere, cum fratribus pacem habere, nec quemquam de membris suis discerpere, nullum damnare nisi comprobatum; nullum excommunicare, nisi discussum. Quique ita humilitate pariter, & auctoritate præesse debet, ut neque per nimiam humilitatem suam subditorum

torum vitia convalescere faciat, neque per immoderantiam severitatis potestatem exerceat, sed tantò cautiùs erga comissos sibi, quantò duriùs à Christo indagari formidat.

℞. In medio Ecclesiæ aperuit os ejus, \* Et implevit eum Dominus spiritu sapientiæ, & intellectus.

℥. Jucunditatem & exultationem thesaurizavit super eum. Et. Glor. Pat. Et. *In Quadrag. Lect. ix. dic. de Homil. Fer. & comem in Laud. Lectio ix.*

**T**enebit quoque illam supereminentem donis omnibus charitatem, sine qua omnis virtus nihil est. Custos enim castitatis charitas, locus autem hujus custodis humilitas. Habebit etiam inter hæc omnia castitatis eminentiam: ita ut mens Christo dedita, ab omni inquinamento carnis sit munda, & libera. Inter hæc oportebit cum sollicita dispensatione curam pauperum gerere, esurientes pascere, vestire nudos, suscipere peregrinos, captivos redimere, viduas, ac pupillos tueri, pervigilem in cunctis exhibere curam, providentiam habere distributione discreta. In quo etiam hospitalitas ita erit præcipua, ut omnes cum benignitate, & charitate suscipiat. Si enim omnes fideles illud Evangelium audire desiderant, Hospes fui, & suscepiſtis me, quantò magis Episcopus, cujus diverforium cunctorum debet esse receptaculum. Te Deum. FE-



## FESTA MAIJ.

In Festo S. PIJ V. Conf. Pont. 5. Maij  
Semidupl. ex Decr. 1. Julij 1713.

*Omnia de com. Conf. Pont. præter ea quæ hic  
seq. Oratio.*

**D**Eus, qui ad conterendos Ecclesiæ tuæ  
hostes, & ad divinum cultum repa-  
randum, Pium quintum Pontificem ma-  
ximum eligere dignatus es: fac nos ipsius  
defendi præsidii, & ita tuis inhærere obse-  
quiis, ut omnium hostium superatis insi-  
diis, perpetua pace lætemur. Per Dnm.

*Ad Matut. in Hym. Iste Conf. mut. 3. Versf.*

*In I. Nocturno, Lect. de Script. occur.*

*In II. Nocturno. Lectio iv.*

**P**Ius in oppido Insubriæ, quod Boschum  
vocant, natus, sed è Bononia oriun-  
dus ex nobili Ghisleriorum familia, cùm  
quatuordecim esset annorum, Ordinem  
Prædicatorum ingressus est. Erat in eo ad-  
mirabilis patientia, profunda humilitas,  
summa vitæ austeritas, continuum oratio-  
nis studium, & regularis observantiæ, ac di-  
vini honoris ardentissimus zelus. Philoso-  
phiæ verò ac Theologiæ incumbens, adeò  
in iis excelluit, ut illas docendi munus ma-  
gna cum laude per multos annos exercue-  
rit. Sacras conciones pluribus in locis cum  
ingenti auditorum fructu habuit. Inquisi-  
toris officium inviolabili animi fortitudine  
diu sustinuit; multasque civitates, non si-

ne vitæ discrimine, ab hæresi tunc grassante immunes servavit.

*R.* Inveni David. *ut supra pag. 3.*

*Lectio v.*

**A** Paulo quarto, cui ob eximias virtutes charissimus erat, ad Nepefinum & Sutrinum Episcopatum promotus, & post biennium inter Romanæ Ecclesiæ Presbyteros Cardinales adscriptus fuit. Tum ad Ecclesiam Montis Regalis in Subalpinis à Pio quarto translatus, cum plures in eam abusus irrepsisse cognovisset, totam Diocesim lustravit, rebusque compositis Romam reversus, gravissimis expediendis negotiis applicatus, quod justum erat Apostolica libertate & constantia decernebat. Mortuo autem Pio, præter omnium expectationem electus Pontifex nihil in vitæ ratione, excepto exteriori habitu, immutavit. Fuit in eo religionis progandæ perpetuum studium, in Ecclesiastica disciplina restituenda indefessus labor, in extirpandis erroribus assidua vigilantia, in sublevandis egentium necessitatibus indeficiens beneficentia, in Sedis Apostolicæ juribus vindicandis robor invictum.

*R.* Posui adjutorium. *ut supra pag. 4.*

*Lectio vi.*

**S**Elimum Turcarum tyrannum multis elatum victoriis, ingente comparata classe, ad Echinadas insulas non tam armis, quam

fufis

fufis ad Deum precibus devicit. Quam vi-  
 ctoriam ex ipsa hora, qua obtenta fuit, Deo  
 revelante, cognovit, suisque familiaribus  
 indicavit. Dum verò novam in ipsos Tur-  
 cas expeditionem moliretur, in gravem  
 morbū incidit, & acerbissimis doloribus pa-  
 tientissimè toleratis, ad extrema deveni-  
 ens, cū Sacramenta de more suscepisset,  
 animam Deo placidissimè reddidit anno  
 millesimo quingentesimo septuagesimo se-  
 cundo, ætatis suæ sexagesimo octavo, cū  
 sedisset annos sex, menses tres, dies viginti  
 quatuor. Corpus ejus in Basilica sanctæ Ma-  
 riæ ad Præsepe summa fidelium veneratio-  
 ne colitur, multis à Deo ejus intercessione  
 patratis miraculis. Quibus ritè probatis, à  
 Clemente undecimo Pontifice maximo  
 Sanctorum numero adscriptus est.

*R.* Iste est. *ut supra pag. 5.*

*In III. Noct. Homil. S. Greg. Pap. in Evan.*

Homo peregrè. *ut in com. Conf. Pont.*

*Vesp. de S. Joan. ante Portam Lat. cum com-  
 mem. S. Pij.*

## X. MAIÿ.

In Festo S. Antonini Episc. Conf.

Semidupl. olim ad libitum ab anno 1714.  
 de præcepto.

Officium hujus festi habetur in Breviariis  
 impressis usque ad annum 1700. Si non  
 in ordine, saltem inter festa ad libitum  
 ad finem Brev. 16. Maii.

## XVI. MAI.

In Festo S. JOANNIS Nepomuceni M.  
Semidupl. ex Decr. Bened. XIII. 19.  
Martij 1729.

*Omnia de com. un. Mart. pro diversitate temporis, præter sequentia.*

*Oratio.*

**D**Eus, qui ob invidium B. Joannis Sacramentale silentium, novâ Ecclesiam tuam Martyrij coronâ decorasti: da nobis ejus intercessione & exemplo linguâ cautè custodire: ac omnia potiùs mala, quàm animæ detrimentum in hoc sæculo tolerare. Per Dominum.

*In I. Noct. Lect. de Script. occur.*

*In II. Noct. Lectio iv.*

**J**Oañes Nepomuci Bohemiæ Oppido, unde Nepomuceni cognomen duxit, à parentibus ætate provectis, non sine futuræ Sanctitatis præfagio, flammis suprâ nascentis domum mirabiliter collucentibus ortus est. Cùm infans in gravem morbum incidisset, Beatæ Virginis ope, cui natum parentes referebant acceptum, è vitæ periculo evasit incolumis. Egregia indole, piâque institutione cœlestibus indiciis obsequente, inter sanctas, religiosâsque exercitationes pueritiam egit; nam Ecclesiam frequenter adire, ac Sacerdotibus ad aras operantibus ministrare in deliciis habebat. Zatecii polioribus litteris ad humanitatem informa-

tus ; Pragæ verò gravioribus disciplinis excultus, Philosophiæ, Theologiæ, Sacrorumque Canonum Magisterium, & lauream emeruit. Sacerdotio initiatus, atque à scientia Sanctorum ad lucra animarum ritè comparatus, ministerio Verbi Dei se penitus addixit. Cùm igitur in vitiis extirpandis, & revocandis in via salutis errantibus eloquentia, & pietate uberes ederet fructus, inter Canonicos Metropolitanæ Ecclesiæ Pragensis cooptatus, mox sibi demandatam Evangelii coram Rege Wenceslao IV. prædicandi Provinciam suscepit, eo successu, ut Joannis suafu, multa Rex faceret, magnòque in honore ejus virtutes haberet. Conspicuas tamen, quas ille obtulit, dignitates Dei Servus, ne à Divini Verbi præconio avocaretur, constantissimè recusavit.

*R.* Temp. pasch. *Lux perpetua.*

Extra temp. pasch. *Honestum fecit.*

*Lectio v.*

**R**Egiis illum eleemosynis in pauperes erogandis præfectum Joanna Regina conscientiæ sibi Moderatorem adscivit. Cùm autem Wenceslaus ab officio, institutoque decessisset, atque in vitia præceps abriperetur ; piæ autem conjugis obtestationes, & monita gravatè ferret, contendere ausus est, ut in Sacramentali judicio Sacerdoti credita Reginæ arcana sibi à Joanne panderentur. At Dei Minister blanditiis

primùm, tormentis deindè, & carceris squalore tentatus, nefariæ Regis cupiditati fortiter obstitit. Furentem tamen Wenceslai animũ cum ab execrando proposito, nec humana nec Divina jura deterrerent, supremum agonem, quem instare sibi Athleta Christi noverat, populo in concione de impendentibus etiam Regni calamitatibus admonito, non obscure prænuntiavit. Mox Boleslaviam profectus, ad Beatæ Virginis imaginem antiquo cultu celebrem, cœleste præsidium ad certandum bonum certamen effusis precibus imploravit. Indè vesperi revertentem in privilegio Dominicæ Ascensionis Rex è fenestra conspicatus arcessit; cùmque vehementiùs urgeret, & proximam in aquis, si obluçtari pergeret, submersionem intentaret, Joannes invicta constantia terrores, minasque refutavit. Itaque Regis imperio in Moldavam flumen Pragam interfluens noctu dejectus, illustrem martyrii coronam est consecutus.

*R. Temp. pasch. In servis suis.*

*Extra temp. pasch. Desiderium animæ.*

*Lectio vi.*

**S**acrilegum facinus clam patratum, & Martyris gloriam insigne prodigium divinitùs patefecit. Ubi enim exanime corpus secundo flumine vehi cæpit, ardentes faces aquis supernatantes, & discurrentes apparuerunt. Quamobrem ex arena postri-

die manè corpus elatum, Canonici deinde Regis iram nihil timentes, in Metropolitana Ecclesia solenni pompa intulerunt, & sepulturæ mandârunt. Cùm autem in dies invicti Sacerdotis memoria miraculis, & maxima fidelium, eorum præcipuè, qui fama periclitantur, veneratione cresceret, post annos demùm amplius trecentos, in juridica recognitione corporis, quod sub humo tamdiu jacuerat, lingua ejus incorrupta, & vivida reperta est; quæ sexto post anno Judicibus à Sede Apostolica delegatis exhibita, novo prodigio repente intumuit, & sub obscurum ruborem in purpureum commutavit. His itaque, aliisque signis ritè probatis, Benedictus XIII. P. M. die decima nona mensis Martii anno salutis millesimo septingentesimo vigesimo nono primum hunc Sacramentalis Sigilli assertorem, arcani fidem sanguine obfignantem Sanctorum Martyrum catalogo adscripsit.

*R.* Temp. pasch. *Filia Jerusalem.*

Extra temp. pasch. *Stola jucunditatis.*

*In III. Nocturno.*

Lectio S. Evang. secundum Matthæum.

*Lectio vii. Cap. 10.*

**I**N illo tempore: dixit JESUS discipulis suis: Nihil est opertum, quod non revelabitur; & occultum, quod non sciatur. *Et reliqua.*

*Coment. in Matth. can. 20. post medium.*

**D**ominus diem judicij ostendit, quæ obstrusam voluntatis nostræ conscientiam prodet: & ea, quæ nunc occulta existimantur, luce cognitionis publicæ detegit. Igitur non minas, non consilia, non potestates insectantium monet esse metuendas: quia dies judicij nulla hæc fuisse atque inania revelabit. Et quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine: & quod in aure auditis, prædicate super tecta. Non legimus Dominum solitum fuisse noctibus fermocinari, & doctrinam in tenebris tradidisse, sed quia omnis sermo ejus carnalibus tenebræ sunt, & verbum ejus infidelibus nox est.

*R. Temp. pasch. Ego sum vitis vera.*

*Extra temp. pasch. Corona aurea.*

*Lectio viii.*

**I**Taque id, quod à se dictum est, cum libertate fidei & confessionis vult esse loquendum. Idcirco, quæ in tenebris dicta sunt, prædicari jussit in lumine: ut quæ secreto aurium commissæ sunt, super tecta, id est, excelso loquentium præconio audiantur. Constanter enim Dei ingerenda cognitio est, & profundum doctrinæ Evangelicæ secretum in lumine prædicationis Apostolicæ revelandum: non timentes eos, quibus cum sit licentia in corpora, ta-



men in animam jus nullum eſt : ſed timen-  
tes potiùs Deum, cui perdendæ in geheña,  
& animæ, & corporis fit poteſtas.

*R.* Temp. paſch. *Candidi facti.*

Extra temp. paſch. *Hic eſt verè Martyr.*

*Lectio ix.*

**N**olite timere eos, qui occidunt cor-  
pus. Nullus igitur corporum noſtro-  
rum caſus eſt pertimeſcendus, neque ullus  
interimendæ carnis admittendus eſt dolor :  
quando pro naturæ ſuæ atque originis con-  
ditione reſoluta in ſubſtantiam Spiritualis  
animæ refundatur. Et quia doctrinis tali-  
bus confirmatos oportet liberam confiten-  
di Dei habere conſtantiam, etiam condi-  
tionem, qua teneremur, adjecit : negatu-  
rũ ſe eum Patri in cœlis, qui ſe hominibus  
in terra negaſſet : eum porro, qui confeſſus  
corã hominibus ſe fuiſſet, à ſe in cœlis con-  
fitendum ; qualesque nos nominis ſui te-  
ſtes hominibus fuiſſemus, tali nos apud  
Deum Patrem teſtimonio ejus uſuros.

Te Deum Laudamus.

*Eadem 16. Maii.*

In Feſto S. UBALDI Episc. Conf.

Olim ritũs ſimpl. dein ſemidupl. ad libit.

Ab anno 1703. ſemidupl. de præcepto.

*Omnia de comm. Conf. Pont. præter ſequent.*

*Oratio.*

**A**uxilium tuum nobis, Domine quæ-  
ſumus

sumus, placatus impende: & intercessione beati Ubaldi Confessoris tui atque Pontificis contra omnes diaboli nequitias dexteram super nos tuæ propitiationis extende. Per Dominum.

*In I. Noct. Lect. de Script. occur.*

*In II. Nocturno. Lectio iv.*

**U**Baldus, Eugubii in Umbria nobili genere natus, à primis annis pietate & litteris egregiè est institutus; jamque adolescens, ut uxorem duceret, sæpè tentatus, numquam tamen à proposito servandæ virginitatis recessit. Sacerdos effectus patrimonium suum pauperibus & Ecclesiis distribuit: & Canonorum Regularium Ordinis S. Augustini institutum suscipiens, illud in patriam transtulit, atque in eo aliquandiu sanctissimè vixit. Cujus sanctitatis opinione evulgata, ab Honorio secundo summo Pontifice, Ecclesiæ Eugubinæ invitatus præficitur, & Episcopalis consecrationis munere decoratur.

*R. Inveni David. ut supra pag. 3.*

*Lectio v.*

**A**D suam itaque revertens Ecclesiam, cum de consueta vivendi ratione nihil admodum immutasset, in omni tamen virtutum genere eò magis eminere cœpit, quò efficacius aliorum etiam salutem verbo, & exemplo procuraret, factus forma gregis ex animo. Nam victu parco, vestitu mode-

moderato, lectulo aspero & pauperrimo, Crucis mortificationem jugiter in suo corpore circumferebat, dum inexplebili orationis studio spiritum quotidie recrearet. Hinc admirabilem illam mansuetudinem est adeptus, qua gravissimas injurias & contumelias non modò æquanimiter tulit, verùm etiam mirifico dilectionis affectu persecutores suos omni benignitatis testimonio complectebatur.

℞. Posui adjutorium. *ut supra pag. 4.*

*Lectio vi.*

**B**iennio antequam ex hac vita migraret, cùm diutinis affligeretur infirmitatibus, inter acerbissimos corporis cruciatus, velut aurum in fornace purgatum, Deo gratias indefinenter agebat. Adveniente autem sacro Pentecostes die, cùm multis annis Ecclesiam sibi commissam summa cum laude gubernasset, sanctis operibus ac miraculis clarus quievit in pace. Quem Cælestinus Papa tertius in Sanctorum numerum retulit. Ejus virtus præcipuè in effugandis spiritibus immundis elucet. Corpus verò per tot sæcula incorruptum, magna fidelium veneratione in patria colitur, quam non semel à præsentis discrimine liberavit.

℞. Iste est. *ut supra pag. 5.*

*In tertio Nocturno, Homilia S. Gregor. Pap. in Evangel. Homo peregrè, ut in eadem Communi.*

*XXV. MAIJ.*

In Festo S. GREGORII Pap. Conf. Dupl.

Ex Decr. Bened. XIII. 25. Maij 1728.

*Omnia de com. Conf. Pont. præter. sequent.*

*Oratio.*

**D**EUS in te sperantium fortitudo, qui  
B. Gregorium Confessorem tuum,  
atque Pontificẽ, pro tuenda Ecclesiæ liber-  
tate virtute constantiæ roborâsti: da nobis  
ejus exemplo & intercessione, omnia ad-  
versantia fortiter superare. Per Dominum.

*Commem. S. Urbani Pap. Mart.*

*Lect. I. Noct. de Script. occur.*

*In II. Nocturno. Lectio iv.*

**G**regorius Papa septimus, antea Hil-  
debrandus, Suanæ in Etruria natus,  
doctrinâ, sanctitate, omnique virtutum ge-  
nere cùm primis nobilis, mirificè univer-  
sam Dei illustravit Ecclesiam. Cùm par-  
vulus ad Fabri ligna edolantis pedes, jam  
litterarum inscius, luderet, ex rejectis ta-  
men segmentis illa Davidici elementa ora-  
culi, Dominabitur à mari usque ad mare,  
casu formâsse narratur, manum pueri du-  
ctante Numine, quo significaretur ejus fo-  
re amplissimam in mundo auctoritatem.  
Romam deindè profectus, sub protectione  
S. Petri educatus est. Juvenis Ecclesiæ liber-  
tatem à laicis oppressam, ac depravatos Ec-  
clesiasticorum mores vehementiùs dolens,  
in Cluniacensi Monasterio, ubi sub Regu-

la S. Benedicti austerioris vitæ observantia eo tempore maximè vigebat. Monachi habitum induens, tanto pietatis ardore Divinæ Majestati deserviebat, ut à Sanctis ejusdem Cœnobii Patribus Prior fit electus. Sed divina providentia majora de eo disponente in salutem plurimorum, Cluniaco educatus Hildebrandus, Abbas primùm Monasterii S. Pauli extra muros Urbis electus, ac postmodùm Romanæ Ecclesiæ Cardinalis creatus, sub summis Pontificibus, Leone Nono, Victore Secundo, Stephano Nono, Nicolao Secundo, & Alexandro Secundo, præcipuis muneribus, & legationibus perfunctus est; sanctissimi, & purissimi consilii Vir à Beato Petro Damiani nuncupatus. A Victore Papa Secundo Legatus à Latere in Galliam missus, Lugduni Episcopum simoniaca labe infectum ad sui criminis confessionem miraculò adegit. Berengarium in Concilio Turonensi ad iteratâ hæresis abjurationem compulit. Cadolai quoque schisma sua virtute compressit.

*R.* Inveni David. *ut supra pag. 3.*

*Lectio v.*

**M**Ortuo Alexandro Secundo, invitus, & mœrens unanimi omnium consensu, decimo Kalendas Maii, Anno Christi millesimo septuagesimo tertio, Summus Pontifex electus, sicut sol effulsit in domo Dei: nam potens opere, & sermone, Ecclesia-

clesiasticæ disciplinæ reparandæ, Fidei propagandæ, libertati Ecclesiæ restituendæ, extirpandis erroribus, & corruptelis tantò studiò incubuit, ut ex Apostolorum ætate nullus Pontificum fuisse tradatur, qui majores pro Ecclesia Dei labores, molestiasque pertulerit, aut qui pro ejus libertate acriùs pugnaverit. Aliquot Provincias à simoniaca labe expurgavit. Contra Henrici Imperatoris impios conatus fortis per omnia athleta, impavidus permanfit, seque pro muro domui Israël ponere non timuit, ac eundem Henricum in profundum malorum prolapsum, Fidelium communionem, regnòque privavit, atque subditos populos fide ei data liberavit.

R. Posui adjutorium. *ut supra pag. 4.*

*Lectio vi.*

**D**UM Missarum solemniam perageret, visa est viris piis columba è cælo delapsa humero ejus dextro insidens alis extensis caput ejus velare, quo significatum est, Spiritus Sancti afflatu, non humanæ prudentiæ rationibus ipsum duci in Ecclesiæ regimine. Cùm ab iniqui Henrici exercitu Romæ gravi obsidione premeretur, excitatum ab hostibus incendium signò Crucis extinxit. De ejus manu tandem à Roberto Guiscardo Duce Northmāno ereptus, Cassinum se contulit; atque inde Salernum ad dedicandam Ecclesiam S. Matthæi

Apostoli contendit. Cùm aliquando in ea Civitate sermonem habuisset ad populum, ærumnis confectus in morbum incidit, quo se interiturum præscivit. Postrema morientis Gregorii verba fuere: Dilexi justitiam, & odivi iniquitatem, propterea morior in exilio. Innumerabilia sunt, quæ vel fortiter sustinuit; vel multis coactis in Urbe Synodis sapienter constituit; vir verè sanctus, criminum vindex, & acerrimus Ecclesiæ defensor. Exactis itaque in Pontificatu annis duodecim migravit in cælum anno salutis millesimo octogesimo quinto, pluribus in vita, & post mortem Miraculis clarus, ejusque sacrum Corpus in Cathedrali Basilica Salernitana est honorificè conditum.

*R. Iste est. ut supra pag. 5.*

*In tertiâ Noct. Evang. Vigilate.*

*Nona Lect. de S. Urbano Pap. M.*

## FESTA JUNII.

12. In Festo S. JOANNIS à S. Facundo Conf. Dupl. ex Decr. Bened. XIII. 16. Novembr. 1729.

*Omnia de com. Conf. non Pont. præter sequent.  
Oratio.*

**D**EUS auctor pacis & amator charitatis, qui beatum Joannem Confessorem tuum mirifica dissidentes componendi gratia decorasti: ejus meritis & intercessione

con

concede, ut in tua charitate firmati, nullis à te tentationibus separemur. Per Dominum nostrum.

*Comm. Ss. Basilid. Cyrini &c. ut in Brev. In I. Noct. Lect. de Scriptura occur.*

*Lectio iv.*

**J**Oannem Sahaguni in Hispania nobili genere natum, parentes cum diu prole caruissent, piis operibus & orationibus à Deo impetrarunt. Ab ineunte ætate egregium futuræ sanctitatis specimen dedit; nam è loco superiori ad cæteros pueros crebrò verba faciebat, quibus eos ad virtutem, & Dei cultum hortabatur, eorumque diffidia componebat. In Patria Monachis sancti Facundi Ordinis S. Benedicti primis litterarum rudimentis imbuendus traditur: dum ijs operam daret, curavit pater, ut Parochus Ecclesiam administraret; quod munus juvenis nullis rationibus adduci potuit, ut retineret. Inter familiares Episcopi Burgensis adscriptus, ob spectatam ipsius probitatem intimus ei fuit, ab eoque Presbyter & Canonicus factus, multis beneficiis auctus est. Sed relicta aula Episcopi, ut Deo quietiùs serviret, omnibus Ecclesiæ proventibus abdicatis, se cuidam Sacello addixit, ubi Sacrum quotidie faciebat, ac de rebus divinis magna cum auditorum ædificatione frequenter concionabatur.

*R. Honestum fecit. ut supra pag. 53.*



**P**osteà studiorum causa Salmanticam profectus in celebre Collegium Divi Bartholomæi cooptatus, Sacerdotis munus ita exercuit, ut simul optatis studiis incumberet, & in sacris concionibus assiduè versaretur. Cùm verò in gravissimum morbum incidisset, arctioris disciplinæ voto se obstrinxit: quod ut redderet, cùm priùs cuidam pauperi penè nudo ex duabus, quas tantùm habebat vestes, meliorem dedisset ad Cœnobium sancti Augustini severiori disciplina tum maximè florens se contulit, in quo admissus, obedientia, animi demissione, vigiliis, ac oratione provectiores anteibat. Triclinii cura cùm ipsi demandata esset, vini doliolum ipso attingente omnibus Monachis per annum abundè suffecit. Exacto tyrocini anno, Præfetti jussu munus concionandi suscepit. Salmanticæ id temporis adeò cruentis factionibus divina, humanaque omnia permixta erant, ut singulis propemodum horis cædes fierent, & omnium ordinum ac præsertim nobilium sanguine non viæ solùm & fora, sed templa etiam redundarent.

*R.* Amavit eum, ut *suprà pag. 54.*

*Lectio vi.*

**A**T Joannes tum concionibus, tum privatis colloquiis civium animos demulcens, ad tranquillitatem urbem reduxit

xit. Virum Principem graviter offendit, quod illius in subditos sævitiam increpasset. Qua de causa equites duos immisit, qui eum in itinere confoderent; jamque ad ipsum propinquaverant, cum stupore divinitus immisso, simul cum equis immobiles steterunt, donec ad pedes sancti viri provoluti, sceleris veniam precarentur. Ipse quoque Princeps repentino terrore perculsus jam de salute desperaverat, cum revocato Joanne, facti pœnitens incolumitati redditus est. Factiosi etiam homines, cum eum fustibus peterent, brachiis dirigere: nec antè redditæ vires, quàm delicti veniã precarentur. Christum Dominum, dum Sacrum faceret, præsentem contueri, atque ex ipso Divinitatis fonte cœlestia mysteria haurire solitus. Abdita cordis inspicere, ac futura rarò eventu prælagire frequens illi fuit, Fratrísque filiam septennem mortuam excitavit. Denique mortis diè prænunciato, & Ecclesiæ Sacramentis devotissimè susceptis, extremum diem clausit. Multis ante & post obitum miraculis gloriosus. Quibus ritè probatis, Alexander octavus Sanctorum numero eum adscripsit.

R. Iste homo. *ut supra pag. 54.*

*In III. Noct. Homil. S. Greg. Pap. in Evan. Sint lumbi vestri. de com. Conf. non Pont. r. loc. 9. Lect. de Ss. Basilide &c. ut in Brev. & eorum com. in Laud.*

## XIX. JUNII.

In Festo S. JULIANÆ de Falconeriis V.  
Semidupl. ex Decr. Clement. XII. 15.  
Martii 1738.

*Omnia de comm. Virg. excep. iis, quæ hic propria ponuntur.*

*Ad Vesperas, & ad Matut. Hymn.*

**C**Oelestis Agni nuptias  
O Juliana dum petis,  
Domum paternam deseris,  
Chorúmque ducis Virginum.

Sponsúmque suffixum Cruci  
Noctes, diésque dum gemis,  
Doloris ic̄ta cuspide  
Sponsi refers imaginem.

Quin septiformi vulnere  
Fles ad genu Deiparæ;  
Sed crescit infusa fletu,  
Flammásque tollit charitas.

Hinc morte fessam proxima  
Non usitato te modo  
Solatur, & nutrit Deus,  
Dapem supernam porrigens.

Æterne rerum Conditor,  
Æterne Fili par Patri,  
Et par utrique Spiritus  
Soli tibi fit gloria. Amen.

*Oratio.*

**D**Eus, qui beatam Julianam Virginem  
tuam extremo morbo laborantem  
pretioso Filii tui Corpore mirabiliter re-  
create

creare dignatus es ; concede quæsumus, ut ejus intercessionibus meritis, nos quôque eodem in mortis agone refecti, ac roborati ad cœlestem Patriam perducamur. Per eundem Dominum.

*In I. Noct. Lect. de Script. occur.*

*In II. Nocturno. Lect. iv.*

**J**ULIANA ex nobili Falconeria Familia, Clarissimo Patre, qui templum Deiparæ ab Angelo salutatæ ære suo magnificè à fundamentis Florentiæ, ut nunc visitur, erexit, Matre Reguardata ambobus jam senescentibus, ac ad id tempus sterilibus, nata est anno millesimo ducentesimo septuagesimo. Ab incunabilis non exiguum futuræ sanctitatis specimen dedit ; vagientibus quippe labris, suavissima Jesu, & Mariæ nomina ultro proferre audita est. Pueritiam postmodum egressa totam se christianis virtutibus mancipavit, in quibus adeò excelluit, ut B. Alexius patruus, cujus institutis, ac exemplis instruebatur, Matri dicere non dubitaverit, ipsam non fæminam peperisse, sed Angelum ; nam ita modesto vultu, animoque ab omni, vel levissima erroris macula pura fuit, ut oculos nunquam in toto vitæ cursu ad hominis faciem intuendam erexerit, auditoque peccati vocabulo contremuerit, immò sceleris narratione perculsa, illico prope exanimis corruerit. Expleto nondum decimoquinto

ætatis suæ anno, re familiari, licet opulenta, terrenisque posthabitis nuptiis, Deo virginitatem in manibus Divi Philippi Benitii solemniter vovit, ab eoque omnium prima religiosum Mantellatarum habitum, ut dicunt, sumpsit.

℞. Propter veritatem. &c. pag. 49.

*Lectio v.*

**J**ULIANÆ exemplum secutæ sunt plurimæ ex nobilioribus Familiis fæminæ ac Mater ipsa Filiæ sese religiose instituendam dedit, itaut, aucto paulatim numero, Ordinem Mantellatarum instituerit, ac illi piè vivendi leges summa prudentia, ac sanctitate tradiderit. Ejus virtutes cum optime perspectas Divus Benitius haberet, morti proximus, nulli melius, quam Julianæ, non fæminas tantum, sed & totum Servorum Ordinem, cujus Propagator, & Moderator extiterat, comendatum voluit. Verum ipsa demisse semper de se cogitabat, & cum cæterarum esset magistra, in re quoque domestica, licet vili, Sororibus famulabatur. Assiduitate orandi integras infumebat dies, in estasim sæpissimè rapta, & si reliquum, in sedandis Civium diffidiis, criminosis à via iniquitatis retrahendis, ac inserviendis impendebat ægrotis, quorum quandoque saniem ex ulceribus manantem, admoto ore lambens, eos sanitati restituebat. Corpus suum flagris, nodosis funi-

funiculis, ferreis cingulis, vigiliis, humi nudæ cubando, terere solita fuit. Parcissimè cibo, & hoc vili quatuor hebdomadæ diebus, & reliquis duobus solo Angelorum pane contenta, excepto die sabbati, quo pane solo & aqua nutriebatur.

℞. Dilexisti justitiam pag. 50.

*Lectio vi.*

**D**Ura hujusmodi vivendi ratione in stomachi morbum incidit, quo ingravescente, cum septuagesimum ætatis añum ageret, ad extremum vitæ spatium redacta est. Diurnæ valetudinis incommoda hilaris vultu, constantique animo pertulit: de uno tantum conquæri audita est, quòd cum cibum capere, ac retinere nullo modo posset, ab Eucharistica mensa, ob Sacramenti reverentiam arceretur. Verùm his in angustiis constituta, Sacerdotem rogavit, ut allatum divinum Panem, quem ore fumere nequibat, pectori saltem exterius admoveret. Precibus illius morem gessit Sacerdos; & mirum! Eodem temporis momento, divinus Panis disparuit, & Juliana sereno, ac ridenti vultu expiravit. Res supra fidem tandiu fuit, donec virgineum de more curaretur corpus; inventa enim est circa sinistrum pectoris latus carni veluti sigillo impressa forma Hostiæ, quæ Christi crucifixi effigiem repræsentabat. Hujus prodigii fama, cæterorúmque mira-

culorum, non Florentiæ tantum, sed totius christiani Orbis venerationem illi conciliavit, ac per quatuor propè integra sæcula adeo aucta est, ut tandem Benedictus Papa decimus tertius in ejus celebritate Officium proprium recitari ab universo Ordine Beatæ Mariæ Virginis Servorum iusserit. Clemens verò XII. munificentissimus ejusdem ordinis Protector novis in dies miraculis coruscantem, sanctarum Virginum Catalogo adscripsit.

*R.* Afferentur Regi. pag. 51.

*In tertio Noct. Hom. in Evang. Simile &c. dec. virginib. 9. Lect. de Ss. Gerv. & Prot.*

---

## XXI. JUNII.

In Festo S. ALOYSII Conf. Dupl. Ex Decr. Clem. XII. 10. Maij 1737.

*Omnia de com. Conf. non Pont. prat. sequent. Oratio.*

**C**oelestium donorum distributor Deus, qui in Angelico Juvene Aloysio miram vitæ innocentiam pari cum pœnitentia sociasti : ejus meritis & precibus concede ; ut innocentem non secuti, pœnitentem imitemur. Per Dominum

*In I. Noct. legunt. Lect. de Script. occur.*

*In II. Nocturno. Lectio iv.*

**A**loysius Ferdinandi Gonzagæ Castellionis Stiverorum Marchionis Filius, festinato propter vitæ periculum baptismo, prius

prius Cœlo, quàm terris nasci visus; primam illam gratiam tam constanter retinuit, ut in ea confirmatus crederetur. A primo rationis usu, quo se Deo statim obtulit, vitam duxit quotidie sanctiorem. Novennis Florentiæ ante aram Beatæ Virginis, quam parentis loco semper habuit, perpetuam virginitatem vovit; eamque insigni Dei beneficio, nulla mentis, aut corporis pugna tentatam servavit. Reliquas animi perturbationes cœpit, ætate illa tam fortiter comprimere, ut ne primo quidem earum motu deinde incitaretur. Sensus etiam, oculos præcipuè ita cohibuit, ut non modò illos numquam in faciem intenderit Mariæ Austriacæ, quam plures annos inter honorarios Hispaniarum Principis ephebos ferè quotidie salutavit: sed à Matris etiam vultu contineret. Homo propterea sine carne, aut Angelus in carne meritò appellatus.

R. Honestum fecit. *pag. 53.*

*Lectio v.*

**A**Djecit sensuum custodiæ corporis cruciatum. Tria singulis hebdomadis jejunia, eaque plerùmque modico pane, & aqua tolerabat. Quamquàm perpetuum fuisse per id tempus ipsius jejunium videri potest; cum ejus prandia fermè vix unciam æquarent. Sæpè etiam ter in die se funibus, aut catenis cruentabat: flagella, quan-



quandoque canum loris ; cilicia equorum calcaribus supplevit. Mollem lectulum clam injectis asserum fragmentis asperabat, eò etiam, ut citiùs ad orandum excitaretur. Magnam quippe noctis partem summa etiam hyeme, solo tectus indusio positus humi genibus, vel præ languore jacens, ac ronus, in cœlestium contemplatione tra-  
ducebat. Interdiu quoque tres, quatuor, quinque horas in ea perstabat immotus ; donec unam saltem animo nusquam distra-  
cto percurrisset. Cujus constantiæ præmiũ fuit stabilitas mentis inter orandum aliò non vagantis ; imò perpetua velut extasi in Deo defixæ. Ei demum ut unicè adhæret, victo post triennale acerrimum certamen patre, & aviti principatus jure in fratrem translato, Societati Jesu, ad quàm cœlesti voce Matrivi fuerat accitus, Romæ se adjunxit.

*R. Amavit eum. pap. 54.*

*Lectio vi.*

**I**N Tyrocinio ipso virtutum omnium Magister haberi cœpit. Exactissima in eo erat legum etiam minimarum custodia, mundi contemptus singularis, implicabile odium sui : Dei verò amor tam ardens, ut corpus etiam sensim absumeret : Jussus propterea mentem à divinis rebus tantisper avertere, occurrentem sibi ubique Deum irritò conatu fugiebat. Mira etiam proximos

mos charitate amplexus, in publicis, quibus alacriter ministrabat nosocomiis, contagiosam luem traxit. Qua lentè consumptus, die quem prædixerat, undecimo kalendas Junij, ætatis anno quarto, & vigesimo jam inchoato, cùm antea flagellis cædi, atque humi stratus mori postulasset, migravit in cælum. Ibi eum S. Maria Magdalena de Pazzis tanta frui gloria, Deo monstrante, vidit, quantam vix esse in cælo credidisset; ipsùmque sanctimonia insignem, & charitate Martyrem, incognitum fuisse prædicavit. Multis etiam, magnisque claruit miraculis. Quibus ritè probatis, Benedictus decimus tertius Sanctorum fastis Angelicū juvenem adscripsit, atque innocentia & castitatis exemplar simul, & Patronū studiosæ præsertim juventuti dedit.

℞. Iste homo perfecit. *pag. 55.*

*In III. Nocturno.*

Lectio S. Evang. secundum Matth. *Cap. 22.*

*Vers. 29.*

*Lectio vii.*

**I**N illo tempore respondens JESUS ait Sadducæis: Erratis nescientes scripturas, neque virtutem Dei: in resurrectione enim neque nubent, neque nubentur; sed erunt sicut Angeli Dei in cælo. Et reliq.

Homil. S. Joan. Chryf. *Lib. de Virginib.*

**V**irginitas est bona: id ego quoque fateor. Atqui nuptiis etiam melior; & istud tibi assentior: ac si libet, illud ad-  
jun-

jungam, tantò nuptijs eam præstare quantum cælum terræ, quantum hominibus Angelicæ antecellunt; ac si quid prætereà audendum est, etiam magis. Nam si neque nubunt Angeli, neque uxorem ducunt; non etiam carne & sanguine coagmentati sunt: in terris prætereà non commorantur; non cupiditatum, aut libidinum perturbationibus sunt obnoxij; non cibo indigent, aut potu; non sunt ejusmodi ut eos dulcis sonus, aut cantus mollis, aut præclara species possit allicere; nulla denique ejus generis illecebra capiuntur.

℞. Iste est. pag. 56.

*Lectio viii.*

**A**T humanum genus cum natura beatis illis mentibus inferius sit, omni vi studioque contendit, ut quo ad ejus fieri potest, illas assequatur. Quomodo? non nubunt Angeli; at neque etiam Virgo. Assistentes illi semper ad Deum, eidem inserviunt; & istud ipsum Virgo. Quod si virgines, quamdiu corporis onore deprimuntur, quemadmodum Angeli in cælum nequeunt ascendere; illud eo vel maximo solatio compensant, quod modo Spiritu & corpore sancti sint, cæli Regem recipiunt. Vides ne virginitatis præstantiam? quomodo terrarum incolas sic afficiat, ut qui corpore vestiti sunt, eos incorporeis mentibus exæquet.

℞. Sint lumbi. pag 65.

*Lectio*

**Q**Ua enim, quæso re differebant ab Angelis Elias, Eliseus, Joannes, veri hi virginitatis amatores? nulla nisi quod mortali natura constabant. Nam cætera si quis diligenter inquirat, hi nihilominus affecti reperientur, quàm beatæ illæ mentes: & id ipsum, quo inferiore conditione videntur esse, in magna est eorum laude ponendum. Ut enim terrarum incolæ, & ij, qui essent mortali natura, possent ad illam virtutem vi & conditione pervenire; vide, quanta eos fortitudine, quanta vitæ ratione præditos fuisse oporteat.

Te Deum laudamus.

*In 2. Vesp. com. S. Paulini, ut in Brev.*

*7. 5. Juliano in fine libelli*  
FESTA JULII.

15. In Festo S. HENRICI Conf. in Germania Duplex.

*Omnia ut in Brev. sed ritu duplici.*

### XVI. JULII.

In Festo B. M. V. de Carmelo Dupl. maj. ita ordinatum ex Decr. Bened. XIII. 24. Septemb. 1736.

*Omnia ut in festo ad Nives præter sequentia.*

In Antiph. ad Magnif. Sancta Maria, ut ibi in fine loco *Sanctam festivitatem* dicitur solemnem commemorationem.

*Oratio.*

**D**Eus, qui beatissimæ semper virginis & Geni-

T

Geni-

Genitricis tuæ Mariæ ſingulari titulo Carmeli Ordinem decorasti : concede propiti-  
us ; ut cujus hodie cōmemorationem ſo-  
lemni celebramus officio, ejus muniti præ-  
ſidijs, ad gaudia ſempiterna pervenire me-  
reamur. Qui vivis &c.

*In II. Noct.*

*Lect. iv.*

**C**UM ſacra Pentecoſtes die Apoſtoli cœ-  
litùs afflati, variis linguis loquerentur,  
& invocato auguſtiſſimo Jeſu nomine, mira  
multa patrarent : viri plurimi ( ut fertur )  
qui veſtigijs ſanctorũ Prophetarum Eliæ ac  
Elifei inſtiterant, & Joannis Baptiſtæ præ-  
conio ad Chriſti adventum comparati fue-  
rant, rerum veritate perſpecta, atque pro-  
bata, Evangelicam fidem confeſſim ample-  
xati ſunt, ac peculiari quodam affectu, bea-  
tiſſimam Virginem ( cujus colloquijs ac fa-  
miliaritate feliciter frui potuere ) adeò ve-  
nerari cœperunt, ut primi omnium in eo  
montis Carmeli loco, ubi Elias olim ascen-  
dentem nebulam, Virginis typo inſignem,  
conſpexerat, eidem puriſſimæ Virgini Sa-  
cellum conſtruxerint.

**R.** Sicut cedrus exaltata ſum in Libano,  
& ſicut cypreſſus in monte Sion, quaſi  
myrrha electa, \* Dedi ſuavitatem odoris.

**V.** Et ſicut cinnamomum, & baſamum  
aromatizans. Dedi. *Lect. v.*

**A**D novum ergo Sacellum ſæpè quoti-  
die convenientes, ritibus pijs, pre-  
catio-

cationibus, ac laudibus beatissimam Virginem, velut singularem Ordinis tutelam colebant, Quamobrem Fratres beatæ Mariæ de Monte Carmelo passim ab omnibus appellari cœperunt, eumque titulum Summi Pontifices non modò confirmarunt, sed & Indulgentias peculiare iis, qui eo titulo vel Ordinem, vel Fratres singulos nuncuparent, concessere. Nec verò nomenclaturam tantùm magnificentissima Virgo tribuit & tutelam; verùm & insigne sacri Scapularis, quod beato Simoni Angelico præbuit, ut cœlesti hac veste Ordo ille sacer dignosceretur, & à malis ingruentibus protegeretur. Ac demum cùm olim in Europa Ordo esset ignotus, & ob id apud Honorium tertium non pauci pro illius extinctione instarent, assistit Honorio, noctu piissima Virgo Maria, planèque jussit, ut institutum & homines benignè complecteretur.

*R.* Quæ est ista, quæ processit sicut sol, & formosa tamquam Jerusa'em? \* Viderunt eam filiæ Sion, & beatam dixerunt, & Reginae laudaverunt eam. *Y.* Et sicut dies verni circumdabant eam flores rosarum, & lilia convallium. Viderunt.

*Lectio vi.*

**N**ON in hoc tantùm sæculo Ordinem sibi tam acceptum multis prærogativis beatissima Virgo insignivit; verùm &

in alio (cùm ubique & potentia & misericordia plurimum valeat) filios in Scapularis societatem relatos, qui abſtinentiam modicam, precesque paucas eis præſcriptas frequentarunt, ac pro ſui ſtatus ratione caſtita-tem coluerunt; materno planè affectu, dum igne purgatorii expiantur, ſolari, ac in cœleſtem patriam obtentu ſuo quanto-ociùs piè creditur efferre. Tot ergo tantifque beneficiis Ordo cumulatus, ſolem- nem beatiffimæ Virginis cõmemorationem ritu perpetuo ad ejuſdẽ Virginis gloriam quot- annis celebrandam inſtituit.

*R.* Ornatam monilibus filiam Jeruſalem Dominus concupivit: \* Et videntes eam filiæ Sion, beatiffimam prædicaverunt, dicentes: \* Unguentũ effuſum nomẽ tuum.

*V.* Aſtitit Regina à dextris tuis in veſtitu deaurato, circumdata varietate. Et videntes. Gl. Patri. Unguentum.

*Antiph. ad Benediãtus.*

Caput tuum ut Carmelus, & comæ capitis tui, ſicut purpura Regis vinãta canali- bus, alleluja.

*In 2. vesp. Antiph. ad Magnif.*

Gloria Libani data eſt ei, decor Carmeli, & Saron, alleluja

---

XIX. JULII.

In feſto S. VINCENTII à Paulo Conf.  
Semid. ex Decr. Clem. XII. 7. Dec. 1737.

*Omnia ut in com. Conf. non Pont. præter ſeq.*

*Oratio*

## Oratio.

**D**Eus, qui ad evangelizandum pauperibus, & Ecclesiastici ordinis decorem promovendum B. Vincentium Apostolicâ virtute roborasti: præsta quæsumus, ut cujus pia merita veneramur, virtutum quoque instruamur exemplis. Per Dominum.

*In I. Noct. Lect. de Script. occur.*

*In II. Noct. Lectio iv.*

**V**incentius à Paulo natione Gallus, Podij non procul ab Aquis Tarbellis in Aquitania natus, jam tum à puero eximiam in pauperes charitatem præsetulit. A custodia paterni gregis ad litteras evocatus humanas Aquis, Divinas cum Tolosæ, tum Cæsar-Augustæ didicit. Sacerdotio initiatus, ac Theologiæ laurea insignitus in Turcas incidit, qui captivum in Africâ abduxerunt, sed in captivitate positus herum ipsum Christo rursus lucrifecit. Cum eo igitur ex barbaris oris opitulante Deipara sese proripiens ad Apostolica limina iter instituit: Unde in Galliam reversus Clippiaci primùm, mox Castellionis Paræcias sanctissimè rexit. Renunciatus à Rege primarius Sacrorum Minister in Galliæ triremibus, mirum quo zelo, & ducum, & remigum saluti operam posuerit. Monialibus Visitationis à S. Francisco Salesio præpositus, tantâ prudentia per annos circiter quadraginta eam curam sustinuit, ut maximè



ximè comprobaverit judicium Sanctissimi Præfulis, qui Sacerdotem Vincentio digniorem nullum se nosse fatebatur.

R. Honestum fecit. pag. 53.

*Lectio v.*

**E**Vangelizandis pauperibus, præsertim ruricolis, ad decrepitam usque ætatem indefessus incubuit, eique Apostolico operum se, tum Alumnos Congregationis, quam sub nomine Presbyterorum sæcularium Missionis instituit, perpetuo voto à sacra Sede confirmato speciatim obstrinxit. Quantùm autem augendæ Cleri disciplinæ allaboraverit, testantur erecta majorum Clericorum seminaria, Collationum de divinis inter Sacerdotes frequentia, & sacræ ordinationi præmittenda exercitia, ad quæ, sicut & ad pios laicorum secessus instituti sui domicilia libenter patère voluit. Insuper ad amplificandam fidem & pietatem evangelicos misit operarios, non in solas Galliæ provincias, sed & in Italiam, Poloniam, Scotiam, Hiberniam atque ad barbaros & Indos. Ipse verò vitâ, functo Ludovico decimo tertio cui morienti hortator adstitit, à Regina Anna Austriaca Matre Ludovici decimi quarti in sanctius Consilium accitus studiosissimè egit, ut non nisi digniores Ecclesiis, ac monasteriis præficerentur: civiles discordiæ, singularia certamina, serpentes errores, quos simul sensit,

&

& exhorruit, amputarentur, debitaque iudiciis Apostolicis obedientia præstaretur ab omnibus.

R. Amavit eum. *pag. 54.*

*Lectio iv.*

**N**ULLUM fuit calamitatis genus, cui paternè non occurrerit : fideles sub Turcarum iugo gementes : Infantes expositos, juvenes dyfcolos, virgines periclitantes : Moniales dispersas : mulieres lapsas : ad triremes damnatos, peregrinos infirmos, artifices invalidos, ipsosque mente captos, ac innumeros mendicos subsidiis & hospitiiis etiamnum superstitionibus excepit, ac piè fovit. Lotharingiam, Campaniam, Picardiam, aliasque regiones peste, fame, bellòque vastatas prolixè refecit. Plurima ad perquirendos & sublevandos miseros sodalitia fundavit ; inter quæ celebris Matronarum cætus, & latè diffusa sub nomine charitatis puellarum Societas. Puellas quoque tum de Cruce, tum de Providentia ac S. Genovesæ ad sequicris sexus educationem erigendas curavit ; Hæc inter & alia gravissima negotia Deo jugiter intentus cunctis affabilis, ac sibi semper constans, simplex, rectus, humilis, ab honoribus, divitiis ac deliciis semper abhorruit, auditus dicere: rem nullam sibi placere, præterquam in Christo JESU, quem in omnibus studebat imitari. Corporis demum afflictatione

statione, laboribus, senioque attritus, die vigesima septima Septembris anno salutis supra millesimū sexcentesimo sexagesimo ætatis suæ octogesimo quinto Parisijs in domo S. Lazari, quæ caput est congregationis Missionis, placidè obdormivit: Quem virtutibus, meritis, ac miraculis clarum Clemens XII. inter Sanctos retulit ipsius celebritati die decimâ nonâ mensis Julii quotannis assignata.

*R.* Iste homo. pag. 54.

*In 3. Noct. Homil. S. Greg. Pap. in Evang. Designavit Dominus. ut in com. Evangel.*

*RR. De com. Conf. non Pont.*

---

### XXIII. JULIJ.

Commem. S. LIBORIJ Episc. Conf.

In vesp. pridie & Laudibus ex Decr. de Anno 1703.

*Oratio.* Da quæsumus. *de com.*

*Si in hunc diem incidat Vigil. S. Jacobi*

*Oratio.* Exaudi. *de eodem com.*

---

### FESTA AUGUSTI.

19. S. LUDOVICI Tolosani Episc. Conf.

Semid. pro terris cæsar. ex Decret. 21.

Maij 1692.

*Omnia de com. Conf. Pont. præter seq.*

*Oratio.*

**D**Eus, qui Beatum Ludovicum Confessorem tuum, atque Pontificem cælesti regnum terreno præponere docuisti,

fi, ac puritate illibata, & eximia in pauperes charitate mirabilem efficere dignatus es, concede nobis famulis tuis imitari, quem colimus, ut ejusdem virtutes æmulantes in terris, coronari cum ipso mereamur in cælis. Per Dominum.

*Lectioes I. Noct. de Script. occur.*

*In II. Noct. Lectio iv.*

**L**udovicus nobilissimo genere natus patrem habuit Carolum Secundum Siciliae Regem, Matrem verò Mariam Hungariae Regis filiam. Adhuc puer in sortem Domini vocatus, ætatis illius posthabitis oblectamentis, divino cultui se se totum mancipavit. Decimum quartum agens annum, unà cum duobus fratribus pro genitoris libertate in bello navali à Rege Aragoniæ capti, obses ductus in Cataloniam, Barcinonæ apud Minores Sancti Francisci ferè septennio est comoratus, sub eorumque disciplina in scientiarum studijs, ac sacrae paginae adipiscenda eruditione eò progressus est, ut constans fuerit opinio, ipsi potius fuisse divinitus infusas, quàm humanitus acquisitas. Verùm majori conatu cœlestis Magistri doctrinâ spiritum instruere anhelans, cilicijs, jejunijs, ferreis flagellis carnem afflixit, assidua interim Evangelicæ veritatis meditatione contemptibilia mundi spernere edoctus, regalis solij fastum calcare deliberavit, ac de seraphico

amplectendo instituto, raro humilitatis exemplo, votum emisit.

℞. Inveni David. pag. 3.

Lect. v.

**E**Cclesiasticæ militiæ adscriptus, & ad sacros Ordines deinde promotus, ut quod mente statuerat, opere firmaret, juri primogenituræ renunciavit, & Regno, cùmque votum, quod Barcinonæ voverat, in monte Pessulano frustra adimplere satageret, illius Cænobij fratribus timore Regis patris eum recipere non audentibus, solemniter renovavit. Mox ad Ecclesiam Tolosanam à Bonifacio Octavo quamvis invitatus assumptus, Romamque accersitus, & ab eodem honorificè exceptus, electioni de se factæ nullatenus se assensurum declaravit, donec votum, quo se obstrinxerat, Deo reddidisset. Quare annuente Pontifice habitu Ordinis Minorum, quem semper postea retinuit, ritè suscepto in manibus Episcopi Portuensis, tunc ejusdem Ordinis Generalis Ministri professionem emisit, hisque peractis. Apostolicis mandatis humiliter obtemperans, Episcopus Tolosanus passus est consecrari.

℞. Posui adjutorium. pag. 4.

Lectio vi.

**T**Olosam ad illius Ecclesiæ regimen profectus, spirituali animarum lucro totus incubuit, utque ministerium Apostoli-

folium integrè, ac diligenter impleret, salutaribus monitis, illibatæque vitæ exemplo peccatores ad pœnitentiam revocavit, pluresque Judæos, atque Gentiles assidua Verbi Dei prædicatione ad Orthodoxam fidem convertit. Ecclesiasticam disciplinam ubique in commissa sibi Diœcesi promovit. Liberalis in pauperes, viginti quinque ex eis domi quotidie aluit. Puritatem usquè ad obitum à pueritia nitidissimè custodivit. Humilitatis tandem, Charitatis, atque omnium virtutum ornamento decorus añum trigessimum tertium ætatis agens, Brincolæ Provinciæ arce, ardenti febre correptus, ad Domini sui amplexum, quem in votis semper habuerat, emigravit. Magnis deinde in Ecclesia meritis clarum, & miraculis illustrem, inter quæ plures mortui ejus intercessione ad vitam revocati numerantur, Joannes vigesimus secundus in sanctorum numerum retulit. Sancti viri corpus Valentia in Ecclesia Metropolitana repositum, ibi non intermisso pietatis cultu à fidelibus devotè veneratur.

*R.* Iste est. pag. 5.

*In 3. Noct. Homil. in Evang. Vigilate de com. Conf. non Pont. 2. loc. Miss. Sacerd. tui.*

---

**XXX. AUGUSTI.**

**In Festo S. ROSÆ Virg. Limanæ Dupl.**  
olim pro terris Cæsar. & Reg. Hispan.  
nunc ex Decr. Bened. XIII. 28. Jul. 1728.  
pro Univers. Eccles. *Ora-*

**B**onorum omnium largitor omnipotens Deus, qui beatam Rosam, cœlestis gratiæ rore præventam, virginitatis & patientiæ decore Indis florescere voluisti: da nobis famulis tuis; ut in odorem suavitatis ejus currentes Christi bonus odor effici mereamur. Qui tecum vivit & regnat.

*Et fit com. Ss. Fel. & Adaucti ut in Brev.*

*In I. Noct. Lect. de Script. occur.*

*In II. Noct. Lectio iv.*

**P**rimus Americæ Meridionalis flos sanctitatis Virgo Rosa, Christianis parentibus Limæ progenita, mox ab incunabilis claruit futuræ sanctimoniam indicij: nam vultus infantis mirabiliter in Rosæ effigiem transfiguratus, huic nomini occasionem dedit: cui postea Virgo Deipara cognomen adjecit, jubens vocari deinceps Rosam à sancta Maria. Quinquennis votum perpetuæ virginitatis emisit. Adultior, ne à parentibus ad nuptias cogereetur, clam sibimet venustissimam capitis cæsariem præcidit. Jejunij supra humanum modum addicta, integras Quadragesimas transegit pane abstinens, ac dietim solis quinque granulis mali citrini victitans.

*R. Propter veritatem. pap. 49.*

*Lectio v.*

**H**abitu Tertij Ordinis sancti Domini-  
ci assumpto pristinas vitæ austeritates

res duplicavit : oblongo asperrimóque cili-  
cio sparsim minuscultas acus innexuit : sub  
velo coronam densis aculeis introrsus obar-  
matam interdium noctúque gestavit. Sanctæ  
Catharinæ Senensis ardua premens vesti-  
gia, catena ferrea, triplici nexu circum-  
ducta, lumbos cinxit. Lectulum sibi è trun-  
cis nodosis composuit, horúmque vacuas  
commissuras fragminibus testarum imple-  
vit. Cellulam sibi angustissimam struxit in  
extremo horti angulo, ubi cœlestium con-  
templationi dedita, crebris disciplinis, ine-  
dia, vigilijs corpusculum extenuans, at  
spiritu vegetata, larvas dæmonum, fre-  
quenti certamine victrix, impavidè protri-  
vit, ac superavit.

℞. Dilexi justitiam. pag. 50.

*Lectio vi.*

**Æ** Gritudinum tormentis, domestico-  
rum insultibus, linguarum morfi-  
bus dirè agitata, nondum satis pro merito  
se affligi querebatur. Per quindecim annos  
ad plusculas horas desolatione spiritus, &  
ariditate miserrimè contabescens, forti a-  
nimo tulit agones omni morte amariores.  
Exinde cœpit supernis abundare delicijs,  
illustrari visionibus, colliquescere Seraphi-  
cis ardoribus. Angelo tutelari, sanctæ Ca-  
tharinæ Senensi, Virgini Deiparæ inter  
affiduas apparitiones mirè familiaris, à  
Christo has voces audire meruit : Rosa



cordis mei tu mihi sponsa esto. Denique Sponsi hujus Paradiso feliciter investam, plurimisque ante & post obitum miraculis coruscam, Clemens X. Pontifex Maximus sanctarum Virginum catalogo ritu solemniori adscripsit.

*R.* Afferentur Regi. pag. 51.

*In 3. Noct. Homil. S. Greg. Pap. in Evan. Simile &c. dec. Virginib. de com. Virg. cum 9. Lect. Ss. MM. & com. in Laud.*

### FESTA SEPTEMBRIS.

Dom 1. Sept. In Festo Ss. Angelor. Cust. Dupl. 2. class. cum Octava.

*Omnia ut in Brev. 2. Octob. Com. Dom. occur. in vesp. & laud. & 9. Lect. de hom. Dom.*

In Dioc. Aquil. nunquam fit de die infra Octav. sed fit comm. ejus in vesp. & laud. In Dioc. verò Labac. & aliis, fit de die infra Octav. subinde bis, subinde ter vel quater, prout hæc Dominic. occurit.

### IV. SEPTEMBRIS.

In Festo S. ROSALIÆ Virg. Panorm. Dupl. majus in Germania.

*Omnia de com. Virg. præter sequentia.*

*Oratio.*

**E**Xaudi nos Deus salutaris noster: ut sicut de beatæ Rosaliæ Virginis tuæ festivitate gaudemus; ita piæ devotionis erudiamur affectu, & ejus intercessione ab iracundiæ tuæ flagellis misericorditer liberemur. *Per Dominum.*

In I. Noct. Lect. De Virginib. præcept.

Dom. ut in commun. Virg.

In II. Noct. Lect. iv.

**R**osalia Virgo, orta panormi, ex nobili genere, suam originem trahens à Carolo Magno, in Quisquinæ montem quadraginta circiter mille passibus distantem sola sedecens, paternæ domus opes, delicias, ac spem majoris amplitudinis ob propinquitatem & benevolentiam Regum Siciliae contemnens, cum tetricæ rupis horrore, & asperitate commutavit: inque antrum, cui tunc unicus, & quidem angustus additus è superiori loco patebat, intrepidè descendit ea mente, quam caracteribus saxo insculptis adhuc parentibus expressit: Ego Rosalia Sinibaldi Quisquinæ & Rosarum domini filia, amore Domini mei Jesu Christi in hoc antro habitare decrevi. Qua inscriptione oculis observante susceptæ vitæ propositum altius corde infigere, ac divinæ benevolentia signa ad castissimæ mentis blandimenta vicissim provocare consuevit.

℞. Propter veritatem. pag. 49.

Lectio v.

**I**N hac specu subterranea sibi & mundo emortua, consepultaque Jesu Christo, ut soli Deo viveret, diu noctûque latuit, cavens præcipuè in montibus paterni Principatus, ne fortè agnita in domum, urbemque Patriam abduceretur invita. Calidas

lidas Dæmonum insidiâsque asperæ vitæ  
tædium, & solitudinis horrorem animo in-  
gerebant, acriter sæviendo, in se ferrea ca-  
tena, vigiliis & humi cubatione forti animo  
superasse antiquæ icones significant: cùm-  
que humanis destituta præfidiis, nihil so-  
latii aliunde hauriret quàm è cælo, Domi-  
nus, qui consolatur, & coronat sanctos su-  
os, Angelicis delicijs illam sæpius recreabat.

℞. Dilexisti justitiam. pag. 50.

*Lectio vi.*

**C**Oelesti deinde consilio ex antro Quis-  
quinesi in horridiorem speluncam  
peregrini montis tribus ferè mille passibus  
procul Panormo Rosalia se transtulit, ut  
quò difficiliorem pugnam secum ipsa com-  
mitteret è conspectu Domus paternæ, eò  
laudabilius de contemptis mundi illecebris  
triumpharet. Latebat ibi ad partem læ-  
vam angustus concavus, quem eadem post  
reperas ejus reliquias illuc venanti, cui se  
videndam præbuit, dixit esse suam cellam  
peregrinam, ubi multum ætatis exegisset.  
Hic tamquam columba in foraminibus pe-  
træ gemens, in cœlestium rerum contem-  
platione defixa, ad perfectissimam divini  
amoris normam in solitudine vitam tradu-  
xit, & sanctissimè perennibus charitatis  
rosis, & virginitatis lilijs coronata deposu-  
it pridie Nonas Septembris. Cujus corpus  
Urbano octavo Pontifice Maximo divini-  
tus

tus anno Jubilæi totius Siciliæ plausu re-  
pertum, illam à peste liberavit.

℞. Afferentur Regi. pag. 51.

Reliqua de com. VV. cum supradicta or. prop.

Ut Sacerdotibus cujuscunque Diœc. om-  
nis provisio detur in hoc Supplemento, ap-  
ponitur hic tota Octava Ss. Angelor. Cust.  
prout eam habent Breviaria novissima.

**FERIA SECUNDA.**

*Infra Octav. S. Angeli Custod.*

*Officium per Octav. dic. ut in die Festi.*

*In I. Noct. Lect. de Script. occur. nimirum  
ex Dom. I. Sept. quia illâ Dom. non sunt lectæ.*

*In II. Nocturno.*

Sermo S. Augustini Episc.

*Lib. II. de Civitat. c. 31. Lectio iv.*

**S**Andi Angeli, ad quorum societatem &  
congregationem in hac peregrinatio-  
ne laboriosissima suspiramus, sicut habent  
permanendi æternitatem, ita cognoscendi  
facilitatem, & requiescendi felicitatem; si-  
ne difficultate quippe nos adjuvant, quo-  
niam spiritualibus motibus puris & liberis  
non laborant.

℞. Vivit ipse Dominus: \* Quoniam cu-  
stodivit me Angelus ejus, & hinc euntem,  
& ibi commorantem, & inde huc rever-  
tentem. ✠. Et non permisit me Dominus  
ancillam suam conquinari. Quoniam.

*Lectio v. Idem Ibid. cap. 53.*

**N**Os duas societates Angelicas intelligi-

mus, unam fruentem Deo, alteram tumentem typho. Unam, cui dicitur: Adorate eum omnes Angeli ejus: aliam, cujus princeps dicit: Hæc omnia dabo tibi, si prostratus adoraveris me. Unam sancto Dei amore flagrantem: alteram propriæ celsitudinis immundo amore fumantem. Et quoniam, sicut scriptum est, Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam; illam in cælis habitantem, istam inde dejectam, in hoc infimo aereo cælo tumultuantem.

**R.** Angelus Domini descendit cum Azaria & fociis ejus in fornace, & excussit flammam ignis de fornace: \* Et non tetigit eos omnino ignis, neque contristavit.

**V.** Benedictus Deus eorum, qui misit Angelum suum, & eruit servos suos qui crediderunt in eum. Et non tetigit.

*Lectio vi. Idem. Ibid.*

**I**llam luminosa pietate tranquillam, istam tenebrosis cupiditatibus turbulentam. Illam Dei nutu clementer subvenientem, justè ulcipientem, istam suo fastu subdendi, & nocendi libidine æstuantem. Illam, ut quantum vult consulat, Dei bonitatis ministram; istam, ne quantum vult noceat, Dei potestate frænata. Illam huic illudentem, ut nolens profit persecutionibus suis; hanc illi invidentem, cum peregrinos colligit suos.

**R. In**

¶ In omni tribulatione eorum non est tribulatus, \* Et Angelus faciei ejus salvavit eos. ¶ In dilectione sua, & indulgentia sua ipse redemit eos, & portavit eos, & elevavit eos cunctis diebus sæculi. Et Angelus. Glor. Patri. Et Angelus.

*In III. Nocturno.*

Lectio S. Evang. secundum Matth.

*Lectio vi. Cap. 18.*

**I**N illo tempore: Accesserunt discipuli ad Jesum, dicentes: Quis, putas, major est in regno cœlorum? Et reliqua.

Homilia S. Hieronymi Presbyt.

*Lib. 3. Comment. in Matth. Cap. 18.*

**P**ost inventum staterem, post tributa reddita, quid sibi vult Apostolorum repentina interrogatio: Quis, putas, major est in regno cœlorum? Quia viderant pro Petro & Domino idem tributum redditum, ex æqualitate pretii arbitrati sunt, Petrum omnibus Apostolis esse prælatum, qui in redditione tributi Domino fuerat comparatus; ideò interrogant, quis major sit in regno cœlorum. Videntque Jesus cogitationes eorum, & causas erroris intelligens, vult desiderium gloriæ, humilitatis contentione sanare.

& Machabæus, & qui cum eo erant, cognoverunt expugnari præsidia: \* Cum fletu & lacrymis rogabant Dominum, & omnis turba simul, ut bonum Angelum mitteret

teret ad salutem Israel. *Ÿ.* Cùm pariter prompto animo procederent Jerofolymis, apparuit præcedens eos eques in veste candida. Cum fletu.

*Lectio viii.*

**S**I autem manus tua, vel pes tuus scandalizat te, abscinde eum, & projice abs te. Necessè est quidem venire scandala: væ tamen ei est homini, qui, quod necessè est ut fiat in mundo, vitio suo facit ut per se fiat. Igitur omnis truncatur affectus, & universa propinquitas amputatur, ne per occasionem pietatis unusquisque credentium scandalis pateat: Si, inquit, ita est quis tibi conjunctus, ut manus, pes, oculus, & est utilis atque sollicitus, & acutus ad perspiciendum: scandalum autem tibi facit, & propter dissonantiam morum te pertrahit in gehennam: melius est, ut & propinquitate ejus, & emolumentis carnalibus careas, ne dum vis lucrifacere cognatos & necessarios, causam habeas ruinarum.

*R.* Tu Domine qui misisti Angelum tuum sub Ezechia rege Juda, & interfecisti de castris Sennacherib centum octoginta quinque millia: \* Et nunc Dominator cœlorum mitte Angelum tuum bonum ante nos, in timore & tremore magnitudinis brachii tui. *Ÿ.* Ut metuant qui cum blasphemia veniunt adversus sanctum populum tuum. Et nunc. *Gl. Pat. Et nunc.*

**D**Ico enim vobis, quia Angeli eorum semper vident faciem Patris mei. Suprà dixerat, per manum & pedem & oculum, omnes propinquitates & necessitudines, quæ scandalum facere poterant, amputandas: austeritatem itaque sententiæ subjecto præcepto temperat, dicens: Videte, ne contemnatis unum ex pusillis istis. Sic, inquit, præcipio severitatem, ut commisceri clementiam doceam: quia Angeli eorum in cœlis vident semper faciem Patris. Magna dignitas animarum, ut unaquæque habeat ab ortu nativitatis in custodiam sui Angelum delegatum. Unde legimus in Apocalypsi Joannis: Angelo Ephesi, & reliquarum Ecclesiarum scribe hæc. Apostolus quoque præcipit velari capita in Ecclesiis feminarum propter Angelos. Te Deum laudamus.

*FERIA TERTIA.*

*Infra Octav. S. Angeli Custod.*

*In II. Nocturno.*

Sermo S. Bernardi Abbat. in festivitate S. Michaël. *Lectio iv.*

**H**ic est funiculus triplex, quo de excelso cœlorum habitaculo ad consolandos, ad visitandos, ad adjuvandos nos attrahitur supereminens charitas Angelorū, propter Deum, propter nos, propter seipos. Propter Deum utique, cujus tanta erga



erga nos misericordiæ viscera ipsi quoque imitantur. Propter nos, in quibus propriam similitudinem miserantur. Propter se ipsos, quorum ordines instaurandos ex nobis toto desiderio præstolantur. In ore enim parvulorum, qui lacte modò vescuntur, & nondum solido cibo, perficienda est laus illa Majestatis Divinæ, cujus habentes primitias Angelici spiritus, beata delectatione fruuntur: sed tantò avidius nos expectant, quantò consummationis ejus expectatione & expetitione sollicitantur.

*R.* Vivit ipse.

*Lect. v.*

**Q**Uæ cum ita sint, pensate etiam, quanta nobis sollicitudine opus est, ut dignos nos exhibeamus eorum frequentia, & eo modo conversemur in conspectu Angelorum, ne fortè sanctos offendamus obtutus. Væ enim nobis, si quando provocati peccatis & negligentis nostris, indignos nos judicaverint præsentia & visitatione sua, ut jam necesse habeamus & nos plangere, & dicere cum Propheta: Amici mei; & proximi mei adversum me appropinquaverunt, & steterunt, & qui juxta me erant, de longè steterunt; & vim faciebant qui quærebant animam meam. Elongatis nimirum eis, quorum præsentia protegere nos, & propulsare poterat inimicum.

*R.* Angelus Domini.

*Le.*

**Q**UOD si tam necessariam habemus familiaritatem dignationis Angelicæ, cavenda nobis est eorum offensa, & in his maximè exercendum, quibus eos novimus oblectari. Sunt enim plurima, quæ eis placent, & quæ in nobis invenire delectat, ut est sobrietas, castitas, paupertas voluntaria: crebri in cælum gemitus, & orationes cum lacrymis & cordis intentione. Attamen super omnia hæc unitatem & pacem à nobis exigunt Angeli pacis. Econtra verò nihil æquè offendit, & ad indignationem provocat eos, quomodo dissensiones & scandala.

*R.* In omni tribulatione.

*In III. Nocturno.*

*Lectio S. Evang. secundùm Matth.*

*Lectio vii. Cap. 18.*

**I**N illo tempore: Accesserunt discipuli ad Jesum, dicentes: Quis, putas, major est in regno cælorum? Et reliqua.

*Homilia S. Joannis Chrysofomi.*

*Ex var. in Matth. loc. Homil. 13.*

**V**Æ mundo à scandalis. Mundum istum, terrenum locum dicit; neque verò de cælo & terra intelligere debemus mundum, sed mundum hic intelligamus terrenum: ideò quòd dixit Dominus: Regnum meum non est de isto mundo: si essem de mundo, amaret me mundus. Et dicitur ad Apostolos: Vos non estis de mundo. *R. Macbabæus.* *Le.*

**V**Æ igitur mundo, hoc est terreno loco, ab scandalis: necesse enim est ut veniant scandala: non quia necesse, sed quia mundo necesse ut veniant. Videte quod dicimus, subtile est: si necesse est ut veniant scandala, ergo absque culpa est ille, per quem venit scandalum.

*R.* Tu Domine.

*Lectio ix.*

**S**Ed nos dicimus, scandalum non venit, nisi in terreno mundo. Vis tibi non venire scandalum? noli esse terrenus. Propter eam dico, mundus terrenus scandalum habet, terra ista necesse est, ut habeat scandalum: noli portare terrenum, sed cœlestem, & scandalum non habebis. Veruntamen væ homini illi per quem scandalum venit. Te Deum laudamus.

*FERIA QUARTA.*

*Infra Octav. S. Angeli Custod.*

*In II. Nocturno.*

*S. Hilarius in Psal. 137. Lectio iv.*

**I**N conspectu Angelorum psallam tibi. Parum sibi existimat Propheta esse, ut hominibus tantum præsentibus psallat, quia homines corporalium tantum negotiorum officia inspiciunt; in eo enim quod psallit, morum complacitæ operationis Deo ostendit. Non ergo quæ videntur in corpore, cerni desiderat; sed quæ spiritua-

*liter*

Inter naturæ spirituales contuentur, gere-  
re festinant: Scit enim sub specula Ange-  
lorum vitam omnem, morésque agere, &  
ubique hæc divinorum ministeriorum au-  
xilia fidelibus cunctis assistere, ut scriptum  
est: Præest Angelus Domini in circuitu  
timentium eum. *R. Vivit ipse Dominus.*

*Lectio v.*

**L**Egem etiam Moyfi in manu Mediato-  
ris per Angelos fuisse depositam do-  
cet Apostolus. Nec non & Eliseus absolu-  
tissimè docuit, humanas infirmitates An-  
gelorum auxiliis defendi, & in omnibus  
periculis, si fides maneat, in nobis adesse  
spiritualium virtutum defensionem. Nam  
cùm Rex Syriæ capere Geth urbem, in  
qua idem Propheta Eliseus esset, pararet,  
& nocturnis itineribus exercitum suum,  
qui antelucanus urbem obsideret, destinaf-  
set, puer Elisei conspecta obsidione dixit:  
O Domine, quid faciemus? Et dixit: Noli  
timere, quia plures sunt nobiscum, quàm  
cum illis. *R. Angelus Domini.*

*Lectio vi.*

**E**T oravit Eliseus ad Dominum, & di-  
xit: Adaperi Domine oculos pueri  
hujus, ut videat; & aperuit Dominus ocu-  
los pueri, & vidit. Et ecce mons erat plenus  
equis & curribus in gyro Elisei, & descen-  
derunt ad eos. Tantus & tam nobilis Pro-  
pheta solus contemplatione auxiliorum

spiritualium dignus est. Sed oratio ejus ad Deum, visum incorporalium etiam puero suo meruit. In horum igitur assistentium humanis auxiliis Angelorum conspectu pfallat Propheta, simplicibus spiritualium operum contemplatione placiturus. *R.* In omni.

*In III. Nocturno.*

Lectio S. Evang. secundum Matth.

*Lectio vii. Cap. 18.*

**I**N illo tempore : Accesserunt discipuli ad Jesum, dicentes : Quis, putas, major est in regno celorum ? Et reliqua.

Homilia S. Bernardi Abbatis.

*Tom. I. in festivit. S. Mich. Serm. II.*

**A**Udistis, fratres, Evangelicam lectionem adversus eos, qui pusillos scandalizant, fatis terribiliter intonantem. Nemini blanditur Veritas, neminem palpat, nullum seducit, apertè denuntians, quoniam væ homini illi, per quem scandalum venit : expedit ei, ut suspendatur in collo ejus mola asinaria : & pro suavi jugo, & levi onere Salvatoris, gravi mole terrenæ cupiditatis humeris ejus imposita, demergatur in profundum maris hujus magni, & spatiosi manibus, quod est sine dubio sæculum nequam. Perire siquidem necesse est hominem, qui charitatem non habet, etiam si tradiderit corpus suum ita ut ardeat : & hoc dixerim, fratres, ut in ea charitate, & unanimitate, & pace, in qua statis in

Domi-

Domino, solliciti sitis perieverare, & abundare magis.

*R.* Machabæus.

*Lectio viii.*

**Q**Uæ est enim spes nostra, & gaudium nostrum, & corona gloriæ? nonne unitas & unanimitas vestra, in qua gaudeo vos inveniri fraternitatis amatores, & ante omnia mutuam in vobismetipsis charitatem habentes, quod est vinculum perfectionis? In hoc enim cognoscunt omnes, etiam Angeli sancti, quod Christi estis discipuli, si dilectionem habueritis ad invicem. Denique potest hinc quoque fraternæ dilectionis utilitas magnificè commendari: numquid enim Christi gratia diligemur ab Angelis, si de mutuæ dilectionis inopia cognoverint nequaquam ejus nos esse discipulos? Numquid diligemur ab eis propter nos ipsos, id est, spiritualis naturæ similitudinem, si invenimur non diligere humanæ naturæ nostræ consortes? imò verò, si ex eis quæ inter nos sunt contentionibus, carnales nos magis quàm spirituales esse constiterit.

*R.* Tu Domine.

*Lectio ix.*

**D**ENIQUE numquid Angeli diligent nos propter seipos, & futuram de nobis civitatis suæ restorationem, si (quod absit) unum, quo solo uniri, & coædificari eis possumus, defuerit glutinum charitatis? Quomodo sperabunt reædificandos de nobis

bis perpetuos civitatis illius muros, si cognoverint, si viderint, nos non lapides esse vivos, qui possint invicem cohærere, sed magis pulverem, quem projicit ventus à facie terræ, quem unius verbi flatus in turbine excitet, & suspicionis cujuslibet levissima aura dispergat? Et hæc quidem dixisse sufficiat, pro eo, quod ait Dominus: Si quis scandalizaverit unum de pusillis istis.

Te Deum laudamus.

*FERIA QUINTA.*

*Infra Octav. S. Angeli Custod.*

*In II. Nocturno.*

Sermo S. Augustini Episcopi.

*Lib. 9. de Civit. cap. 22. Lectio iv.*

**A**ngelis bonis omnis corporalium temporaliumque rerum scientia vilis est, non quòd earum ignari sint, sed quòd illis Dei, qua sanctificantur, charitas chara est. Præ cuius non tantùm incorporali, verùm etiam incomutabili & ineffabili pulchritudine, cujus sancto amore inardescunt, omnia quæ infrà sunt, & quod illud est, non sunt, seque ipsos intra illa contemnunt, ut ex toto, quod boni sunt, eo bono, ex quo boni sunt, perfruantur. *R.* Vivit ipse.

*Ibid. lib. 10. cap. 7. Lectio v.*

**A**ngeli in cœlestibus sedibus constituti immortales & beati, qui Creatoris sui participatione gaudent, cujus æternitate firmi, cujus veritate certi, cujus munere

fan-

sancti sunt: quoniam nos mortales & miseros, ut immortales beatique simus, misericorditer diligunt, nolunt nos sibi sacrificare, sed ei, cujus, & ipsi nobiscum se sacrificium esse noverunt. *R.* Angelus Domini.

*Lectio vi.*

**C**UM ipsis sumus una civitas Dei, cui dicitur in Psalmo: Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei; cujus pars in nobis peregrinatur, pars in illis opitulatur. De illa quippe superna civitate: ubi Dei voluntas intelligibilis atque incommutabilis lex est, de illa superna quodammodo curia (geritur namque ibi cura de nobis) ad nos ministrata per Angelos sancta Scriptura descendit. *R.* In omni tribulatione.

*In III. Nocturno.*

Lectio S. Evang. secundum Matth.

*Lectio vii. Cap. 18.*

**I**N illo tempore: Accesserunt discipuli ad Jesum, dicentes: Quis, putas, major est in regno cælorum? Et reliqua.

Homilia S. Bernardi Abbatis.

*Tom. I. in festo S. Michael.*

**J**AM verò quem non moveat quod sequitur in Evangelio? Si oculus tuus scandalizaverit te, erue eum. Numquid enim corporalem hunc oculum monemur eruere, aut unam ex manibus istis, similiter & unum abscindere pedem? Absit à nobis hujusmodi carnalis omnino & nimis ridiculosa cogitatio. *R.* Machabæus. *Le-*



**P**ORRÒ triplex fieri scandalum quotidiana nobis nosse licet experimento. Interdum enim est in nobis spiritualis intentionis oculus simplex, & qui gratiæ magis quàm noster dicendus sit; sed scandalizat nos oculus noster, & qui verè à nobis est, dum voluntas nostra aliam minùs castam importunè ingerit intentionem: sed habemus super hoc salubre consilium Salvatoris: Erue eum, inquit, & projice abs te. Hoc autem fiet, si non consentias, si abjicias, si resistas. Simili modo de manu ac pede est intelligendum. & Tu Domine.

## Lectio ix.

**C**UM autem bonis operibus intentos, ad alia opera trahere voluntas propria conatur, manus nostra est, quæ scandalizat nos: sed abscindi debet, & projici à nobis, ut non ei consentiamus. Sic etiam proficere in sancta conversatione, & ascendere per gradus scalæ, quæ Jacob apparuit, ac juxta quod ait Psalmista, de virtute in virtutem ire desiderantes sapiùs scandalum patimur à pede quodam pusillanimitatis, & negligentiae nostræ, qui nimirum descendere magis, ac remissiùs ire conatur, sed abscindi eum necesse est, ut pes gratiæ qui stat in directo, currere possit sine offensione, sine scandalo, sine impedimento.

Te Deum laudamus.

FERIA

## FERIA SEXTA

*Infra Octav. S. Angeli Custod.**In II. Nocturno.*

Sermo S. Bernardi Abb. in festivit. S. Mich.

*Lectio iv.*

**D**ignum est, ut gloriam Angelorum non capientes, tantò magis amplectamur misericordiam, qua nimirum constat, nihilominus abundare domesticos Dei cœli Cives, Principes Paradisi. Testatur enim Apostolus, qui raptus ad tertium cœlum, beatæ illi curiæ meruit interesse, atque ejus nosse secreta, quoniam omnes administratorii sunt spiritus, missi in ministerium propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis. Neque id cuiquam incredibile videatur, quandoquidem ipse quoque Creator & Rex Angelorum venit non ministrari, sed ministrare, & animam suam dare pro multis. *R.* Vivit ipse.

*Lectio v.*

**M**inistrant Angeli, sed de alieno offerentes Deo bona opera, non sua, sed nostra, & nobis ejus gratiam referentes. Unde & Scriptura dicit: Quoniam ascendit fumus aromatum in conspectu Domini de manu Angelorum: sollicitè præmisit, data ei fuisse incensa multa. Nostros enim sudores, non suos; nostras, non suas lacrymas offerunt Deo, nobis quoque ejus munera referunt, non sua. Non sic minister

ster ille sublimior cunctis, sed humilior univ-  
 niversis, qui semetipsum obtulit sacrifici-  
 um laudis, qui Patri offerens animam su-  
 am, nobis ministrat usque hodie carnem  
 suam. *R.* Angelus Domini.

*Lectio vi.*

**H**Ujus itaque tanti ministri gratia, ni-  
 hil mirum si dignanter nobis, imò &  
 libenter Angeli sancti ministrent. Ipsi e-  
 nim amant nos, quia nos amavit Christus.  
 Dicitur certè vulgari proverbio: Qui me  
 amat, amat & canem meum. Nos verò, ò  
 beati Angeli, catelli sumus Domini illius,  
 quem tanto affectu diligitis. Catelli, in-  
 quam, cupientes saturari de micis, quæ ca-  
 dunt de mensis Dominorum nostrorum,  
 qui estis vos. Et hæc dixerim, fratres, ut  
 ampliorem de cætero erga beatos Angelos  
 fiduciam habeatis, ac proinde familiariùs  
 in omni necessitate vestra illorum invocetis  
 auxilia, sed & dignè in eorum præsentia  
 conversari, & magis ac magis eorum vobis  
 conciliare gratiam, captare benevolentiam,  
 exorare clementiam studeatis.

*R.* In omni tribulatione.

*In III. Nocturno.*

Lectio S. Evang. secundum Matth.

*Lectio vii. Cap. 18.*

**I**N illo tempore: Accesserunt discipuli ad  
 Jesum, dicentes: Quis, putas, major est  
 in regno cælorum? Et reliqua.

**V**idete, ne contemnatis unum de parvulis istis. Parvulos non ætate, sed multorum æstimatione appellavit, pauperes, inquam, ignotos, cæterósque hujusmodi, quos multi contemnunt, qui revera parvuli non sunt, cùm Creatoris omnium amici sint: quos ipse multò magis venerabiliores facit, dicens: Quia Angeli eorum semper vident faciem Patris mei, qui in cœlis est. *R.* Machabæus.

*Lectio viii.*

**H**inc manifestum est, quia omnes sancti Angelos habeant. Apostolus etiam ait de muliere, quoniam velamen debeat habere in capite propter Angelos: & Moyfes, statuit fines, inquit, Gentium secundùm numerum Angelorum Dei. Hic verò non de Angelis simpliciter dicitur, sed de Angelis excellentibus atque supremis. Nihil enim aliud designatur, cùm faciem, dicat, Patris mei aspiciunt, quàm summa fiducia eorum & honor precibus.

*R.* Tu Domine.

*Lectio ix.*

**V**ides, quot quibúsque rationibus ad modestiam, & ad curam tenuiorum fratrum nos revocat? Infantem in medio statuit, & dixit: Efficiamini sicut parvuli; & quicúmque talem susceperit parvulum,

me suspiciet, & quicumque hunc scandalizaverit, extrema luet supplicia: & scandalizantes homines, etiam si loco manuum atque oculorum nobis essent, abscindere iussit. Angelorum quoque auctoritate, qui hos tenues fratres tutantur, ut eos veneremur, impellit. Te Deum laudam.

SABBATO.

*Infra Octav. S. Angeli Custod.*

*In II. Nocturno.*

Sermo S. Ambrosij Episc.

*Serm. 2. de Eliseo. Lectio iv.*

**H**ostium tumultus bellicosos minime timere debemus, nec quamlibet numerosam hostium multitudinem formidare. Quoniam sicut ait Apostolus: Major est qui in nobis est, quam qui in mundo, hoc est, potentior est ad protegendos famulos suos Christus, quam diabolus ad instigandos inimicos; quamvis enim idem diabolus colligat sibi turbas, & crudeli eas armet infania, tamen facile destruuntur, quia melioribus populum suum Salvator circumdat auxiliis. Ait enim Propheta: Immittet Angelum Dominus in circuitu timentium eum, & eripiet eos. Quod si Angelus Domini timentes eum de periculis eripit, non potest timere barbarum, qui timuerit Salvatorem. *R.* Vivit ipse.

*Idem in Epist. ad Hebr. c. i. Lectio v.*

**Q**uid miraris, si Filio ministerium exhibent

hibent Angeli, cum etiam nostræ salutis ministros eos constet effectos? Filius tamen sicut Dominus salvat: isti verò sicut servi salutis prædestinatorum deserviunt. Intelligite igitur, quantus honor nobis existit, ad quos sicut ad amicos, ita ministros Angelos suos destinat Deus.

*R.* Angelus Domini.

*Idem in Psal. 17. Lectio vi.*

**Q**ui juxta me erant, de longè steterunt: ne mysticus quidem pietatis abhorreat affectus, ut pro Angelis dixerit, qui prætentant timentibus Dominum, ut eripiant eos de tentationibus, quas ferre non possunt. Quomodo ergo longè stant, qui ad adjumentum sunt attributi? Sed non illi se separant, sed qui urgetur tentationibus, putat eos longè abesse quos propius sibi adesse desiderat, & arbitratur dissimulare, cum illi adjuvandi tempus nutu sui Imperatoris expectant qui athletam suum quò gloriosius vinceret, diutiùs certare præcepit. *R.* In omni.

*In III. Nocturno.*

*Lectio S. Evang. secundum Matth.*

*Lectio vii. Cap. 18.*

**I**n illo tempore: Accesserunt discipuli ad Jesum, dicentes: Quis, putas, major est in regno cælorum? Et reliqua.

*Homil. S. Joan. Chrysoft. Ex Hom. 59.*

**C**uriosè, inquit, scrutamini vos, quis vestrum

vestrum major sit, & de primatûs honore contenditis. Ego autem si quis humiliorrem se cæteris non effecerit, ipso ingressu cœlesti omnino indignum assero. Rectè autem ante oculos monstratione parvuli totam rem posuit, ipso aspectu eos convertens, ac persuadens, ut absque simulatione aliqua humilitatem amplectantur.

℞. Machabæus.

*Lectio viii.*

**P**Arvuli autem non invidere, nec inanem expectare gloriam, nec primatus desiderare dignitatem noverunt; sed maximè hanc virtutem possident, puram dico simplicitatem, & humilitatem. Non ergo fortitudine tantum ac prudentia, sed humilitatis quoque virtute, & simplicitate nobis opus est; quæ si non adest, salus nostra certè claudicat. ℞. Tu Domine.

*Lectio ix.*

**P**Arvulum autem ætate, & quidem, me sententia, valdè parvulum, qui ab omnibus esset passionibus liber, in medio statuit. Illa enim ætas omni arrogantia, omni gloriæ inanis furore, omni livoris infania, omni contentionis cupiditate, cæterisque hujusmodi affectibus immunis est. Cùmque præcipuis muniatur virtutibus, simplicitatis scilicet ac humilitatis, de nulla istarum superbit; ita duplici philosophia ornatur. Te Deum laudamus.

*DOMINICA II. Septembris.*

*Dies Octav. S. Angeli Custod.*

*In I. Nocturno Lectiones de Dom. cur.*

*In II. Nocturno.*

*Sermo S. Bernardi Abbatis.*

*Ex Serm. 12. super Psalm. Qui habitat.*

*Lectio iv.*

**A**ngelis suis mandavit de te. Mira dignatio, & verè magna dilectio charitatis. Quis enim? quibus? de quo? quid mandavit? studiosè consideremus, fratres, diligenter comendemus memoriæ hoc tam grande mandatum. Quis enim mandavit? cujus sunt Angeli? cujus mandatis obtemperant? cujus obediunt voluntati? Nempe Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis. Nec cunctantur, quin etiam in manibus tollant te. Summa ergo majestas mandavit Angelis, & Angelis suis mandavit. Illis utique sublimibus, tam beatis, tam proximè sibi coherentibus, tam familiariter sibi adherentibus, & verè domesticis Dei mandavit de te. Tu quis es? Quasi verò non sit homo putredo, & filius hominis vermis.

*R. Vivit ipse Dominus.*

*Lectio v.*

**S**ed quid putas mandavit de te? numquid scripsit contra te amaritudines? numquid ut contra folium, quod vento rapitur, ostendant potentiam suam, & stipulam



pulam siccam persequantur? numquid ut tollant impium, ne videat gloriam Dei? mandandum istud est, non mandatum. Itaque Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te. Pretiosum depositum nobis comiserat, fructum crucis suæ, pretium sanguinis sui, non est contentus custodia hac tam parum tutâ, tam parum utili, tam fragili, tam insufficienti. Super muros tuos Jerusalem constituit custodes, nempe etiam ipsi, qui videntur muri, aut in muro ipso columnæ, his custodibus egent, & maximè. *R.* Angelus Domini.

*Lectio vi.*

**Q**UANTAM tibi debet hoc verbum inferre reverentiam, afferre devotionem, conferre fiduciam! Reverentiam pro præsentia, devotionem pro benevolentia, fiduciam pro custodia. Cautè ambula, ut videlicet, cui adsunt Angeli, sicut eis mandatum est, in omnibus viis tuis: in quovis diversorio, in quovis angulo, Angelo tuo reverentiam habe. Tu ne audeas illo præfente, quod vidente me non auderes? Ceterùm etsi tam parvuli sumus, & tam magna nobis, nec modò tam magna, sed & tam periculosa via restat, quid tamen sub tantis custodibus timeamus? Nec superari, nec seduci, minùs autem seducere possunt, qui custodiunt nos in omnibus viis nostris. Fideles sunt, prudentes sunt, potentes sunt

funt, quid trepidamus? tantum sequamur eos, adhæreamus eis, & in protectione Dei cœli comoremur. *R.* In omni.

*In III. Noct. Lect. vii. & viii. ut in die Fest.*

*Lectio xi. de Homil. Dominicæ occurr. cujus fit com. in laud. & utrisque Vesp.*

*Si dies Octav. S. Ang. Cust. incid. in Fest. Nativit. vel fest. Nom. B. M. V. fit de B. M. V. cum commem. diei Octav. S. Ang. Cust.*

*Dom. infr. Oct. Nativit. B. M. V.*

*Duplex. 2. class. per Germ. ex Decr. 5.*

*Febr. 1684.*

*Omnia ut in Brev. sub hoc ritu.*

*Dom. 3. Sept. computando à Kalendis*

*Ad instant. Cæsaris Caroli VI. ex Decr.*

*Clement. XII. 28. Augusti 1734. miss. ex b. s.*

*In Festo Titulari Archi-Confraternitatis*

*Septem Dolorum B. M. V. Duplex.*

*Ad vesp. Antiph. Quo abiit. cum reliq. ut in laud. Psalm. Dixit Dominus. cum reliq. ut in officio B. M. V.*

*Capitulum. Tbren. 2.*

**C**Ui comparabo te? vel cui assimilabo te, Filia Jerusalem? cui exæquabo te, & consolabor te Virgo Filia Sion? magna est velut mare contritio tua.

*Hymnus.*

**O** Quot undis lacrymarum,  
Quo dolore volvitur,  
Luctuosa de cruento,

*Dum*

Dum revulsum stipite.  
 Cernit ulnis incubantem  
 Virgo Mater Filium !  
 Os suave mite pectus,  
 Et latus dulcissimum :  
 Dexteramque vulneratam,  
 Et sinistram fauciam ;  
 Et rubras cruore plantas  
 Ægra tingit lacrymis.  
 Centiésque, milliésque  
 Stringit arctis nexibus,  
 Pectus illud , & lacertos,  
 Illa figit vulnera ,  
 Sicque tota colliquescit.  
 In doloris osculis.  
 Eia, Mater obsecramus  
 Per tuas has lacrymas,  
 Filiique triste funus,  
 Vulnerúmque purpuram,  
 Hunc tui cordis dolorem  
 Conde nostris cordibus.  
 Esto Patri, Filioque,  
 Et coævo Flamini,  
 Esto summæ Trinitati  
 Sempiterna gloria ,  
 Et perennis laus, honórque  
 Hoc, & omni sæculo. Amen.

℣. Regina Martyrum, ora pro nobis.

℞. Quæ juxta crucem Jesu constitisti.

*Ad Magnificat, Antiph.*

Nolite me considerare, quòd fusca sim,  
 quia

quia decoloravit me sol: Filii matris meæ  
pugnaverunt contra me.

*Oratio.*

**D**Eus, in cujus passione, secundum Si-  
meonis prophetiam, dulcissimam a-  
nimam gloriosæ Virginis & Matris Mariæ  
doloris gladius pertransivit: concede pro-  
pitius; ut qui dolores ejus venerando reco-  
limus, passionis tuæ effectum felicem con-  
sequamur. Qui vivis, & regnas.

*Deinde fit commem. Dominicæ occur.*

*Hymn. Complet. & aliar. Hor. termin.* Jesu  
tibi sit gloria, qui passus es pro servulis,  
cum Patre & almo Spiritu, in sempiterna  
sæcula. Amen.

*Ad Matut. Invitat.*

Stemus juxta Crucem cum Maria Matre  
Jesu, \* Cujus animam doloris gladius per-  
transivit.

*Psalms. Venite exultemus.*

*Hymnus.*

**I**N toto subitus vesper eat polo,  
Et sol attonitum præcipitet diem,  
Dum sævæ recolo ludibrium necis,  
Divinamque catastrophem.

Speçatrix aderas supplicio parens,  
Malis uda, gerens cor adamantinum;  
Natus funerea pendulus in Cruce  
Altos cum gemitus dabat.

Pendens ante oculos Natus atrocibus  
Sectus verberibus; Natus hiantibus

Fossus vulneribus; quot penetrantibus  
Te conficit aculeis?

Heu! sputa, alapæ, verbera, vulnera,  
Clavi, fel, aloë, spongia, lancea,  
Sitis, spina, cruor, quàm varia pium  
Cor pressêre tyrannide!

Cunâtis interea stat generosior  
Virgo Martyribus: prodigio novo;  
In tantis moriens non moreris parens  
Diris fixa doloribus.

Sit summæ Triadi gloria, laus, honor.  
A qua suppliciter, sollicita prece,  
Posco Virginei roboris æmulas  
Vires rebus in asperis. Amen.

*In I. Nocturno, Antiph.*

Multiplicati sunt, qui tribulant me, mul-  
ti insurgunt adversum me.

*Psal. Domine, quid multiplicati sunt. ex  
I. Noct. Dom. Ps. 3*

*Antiph. Paraverunt sagittas suas in pha-  
retra, ut sagittent in obscuro rectos corde.*

*Psal. In Domino confido. ibidem. Ps. 10*

*Antiph. Defecit in dolore vita mea, & ani-  
mi mei in gemitibus.*

*Psal. In te Domine speravi. ex matut. fer. ii.*

*V. Regina Martyrum, ora pro nobis. An. 3*

*R. Quæ juxta Crucem Jesu constitisti.*

*Ex Jeremia Propheta.*

*Lectio i. Tbren. 1.*

**P**Lorans ploravit in nocte, & lacrymæ  
ejus in maxillis ejus, non est, qui con-  
soletur

soletur eam ex omnibus charis ejus. Omnes amici ejus spreverunt eam, & facti sunt ei inimici. Vide Domine, quoniam tribulor, conturbatus est venter meus: Subversum est cor meum in memetipsa; quoniam amaritudine plena sum. Foris interficit gladius, & domi mors similis est. Audierunt; quia ingemisco ego, & non est, qui consoletur me.

*R.* Simeon vir justus, & timoratus dixit ad Mariam: \* Tuam ipsius animam pertransivit gladius. *Y.* Ne vocetis me Pulchram, sed Amaram, quia amaritudine valde replevit me Omnipotens. Tuam ipsius.

*Lectio ii. T'hren. 2.*

**C**ui comparabo te? vel cui affimilabo te, filia Jerusalem? Magna est enim velut mare contritic tua: quis medebitur tui? plauserunt super te manibus omnes transeuntes per viam sibilaverunt, & moverunt caput suum super filiam Jerusalem: Hæccine est urbs, dicentes, perfecti decoris, gaudium universæ terræ? Aperuerunt super te os suum omnes inimici tui: sibilaverunt, & fremuerunt dentibus, & dixerunt: Devorabimus.

*R.* Surge, & accipe puerum, & Matrem ejus, & fuge in Ægyptum: \* Et esto ibi, usque dum dicam tibi. *Y.* Vocavi filium meum ex Ægypto, ut veniat salus in Israël. Et esto ibi.

**F**ecit Dominus quæ cogitavit, completum sermonem suum, quem præceperat à diebus antiquis: destruxit, & non percipit, & lætificavit super te inimicum, & exaltavit cornu hostium tuorum. Clamavit cor eorum ad Dominum, super muros filiæ Sion. Deduc quasi torrentem lacrymas, per diem & noctem, neque taceat pupilla oculi tui.

**R.** Fili quid fecisti nobis sic: \* Ego & Pater tuus. \* Dolentes quærebatimus te. Quid est quod me quærebatis? In his quæ Patris mei sunt, oportet me esse. Ego, & Pater. Glor. Patri. Dolentes quærebatimus te.

*In II. Nocturno, Antiph.*

Factum est cor meum tanquam cera liquefcens in medio ventris mei.

*Psal.* Deus Deus meus, respice in me. *ex fer. vi. Primæ ferialis Officii, Ps. 21*

*Antiph.* Deus vitam meam annuntiavi tibi; posuisti lacrymas meas in conspectu tuo.

*Psal.* Miserere mei Deus. *ex fer. Mat. fer. iv.*

*Antiph.* Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die, ac nocte.

*Psal.* Quemadmodum desiderat cervus. *ex Matut. fer. iii. Ps. 41*

*V.* Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi.

**R.** Inter ubera mea commorabitur.

Sermo S. Bernardi Abbatis.

*Ex serm. de 12. stellis.*

*Lectio iv.*

**M**artyrium Virginis tam in Simeonis Prophetia, quàm in ipsa Domini-  
cæ Passionis historia commendatur. Posi-  
tus est hic ( ait Sanctus Senex de puero Je-  
su ) in signum cui contradicetur. Et tu-  
am ipsius animam ( ad Mariam autem di-  
cebat ) pertransibit gladius. Verè tuam, ô  
beata Mater, animam pertransivit; alio-  
quin non nisi eam pertransiens, carnem fi-  
lij tui penetraret. Et quidem posteaquam  
emisit spiritum tuus ille Jesus, ipsius pla-  
nè non attigit animam crudelis lancea,  
quæ ipsius aperuit latus, sed tuam utique  
animam pertransivit. Ipsius nimirum ani-  
ma jam ibi non erat, sed tua planè inde ne-  
quibat avelli.

℞. Jesum bajulantem sibi crucem: \* Se-  
quebatur turba mulierū, quæ plangebant,  
& lamentabantur eum. ℥. Filix Jerusa-  
lem super vos ipsas flete, & super filios ve-  
stros. Sequebatur turba.

*Lectio v.*

**T**Uam ergo pertransivit animam vis do-  
loris, ut plusquam Martyrem non  
imèritò prædicemus, in qua nimirum cor-  
poreæ sensum passionis excefferit compas-  
sionis affectus. An non tibi plusquam gla-  
dius fuit sermo ille revera pertransiens ani-  
mam, & pertingens usque ad divisionem  
animæ, ac spiritus: Mulier, ecce filius tuus?



O commutationem! Joannes tibi pro Jesu traditur, Servus pro Domino, Discipulus pro Magistro, filius Zebedæi pro filio Dei, homo purus pro Deo vero. Quomodo non tuam affectuosissimam animam pertransiret hæc auditio, quando, & nostra licet faxea, licet ferrea pectora sola recordatio scindit?

*R.* Postquam venerunt in locum, qui dicitur Calvariæ, ibi crucifixerunt eum :  
\* Stabat autem juxta Crucem Jesu Mater ejus. *ÿ.* Tunc beatam illius animam doloris gladius pertransivit. Stabat.

*Lectio vi.*

**N**on miremini, Fratres, quod Maria Martyr in anima fuisse dicatur. Miretur, qui non meminerit, se audivisse Paulum inter maxima gentium crimina memorantem, quod sine affectione fuissent. Longè id fuit à Mariæ visceribus, longè sit à servulis ejus. Sed fortè quis dicat, nunquid non eum præscierat moriturum? Et indubitanter. Nunquid non sperabat continuò resurrecturum? & fideliter. Super hæc doluit Crucifixum? & vehementer: Alioquin quisnam tu frater, aut unde tibi hæc sapientia, ut mireris plus Mariam patientem, quàm Mariæ filium patientem? Ille enim mori corpore potuit; ista commori corde non potuit? Fecit illud Charitas, quâ majorem nemo habuit: fecit

& hoc Charitas, cui post illam similis altera non fuit.

*R.* Joseph ab Arimathæa ; \* Petiit corpus Jesu, quod de Cruce depositum ; \* suo complexu Mater excepit. *V.* Dolens Sunamitis sinu, & genibus suis sustinuit mortuum filium. Petiit corpus Jesu. Gloria Patri. Suo complexu.

*In III. Nocturno, Antiph.*

Intenderunt arcum rem amaram, ut sagittent in occultis Immaculatum.

*Psal.* Exaudi Deus orationem meam cum deprecor. *ex Matut fer. iv. Ps. 63*

*Antiph.* Anima mea turbata est valde, sed tu Domine usque quò.

*Psal.* Domine, ne in furore tuo arguas me. *ex i. Noct. Matut. Dom. P. 6*

*Antiph.* Deus adjutor in tribulationibus, quæ invenerunt nos nimis.

*Psal.* Deus noster refugium, & virtus. *ex Matut. fer. iii. P. 45*

*V.* Per te salutem hauriamus Virgo Maria. *R.* Ex vulneribus Christi.

Lectio S. Evang. secundum Matth.

*Lectio vii. Cap. 17.*

**I**N illo tempore: Stabant juxta Crucem Jesu Mater ejus, & soror Matris ejus, Maria Cleophæ, & Maria Magdal. Et reliq.

Homilia S. Ambrosij Episcopi.

*De Institut. Virg. cap. 7.*

**S**Tabat juxta Crucem Mater, & fugientibus

tibus Viris stabat intrepida. Videte utrùm pudorem mutare potuerit Mater Jesu, quæ animum non mutavit. Spectabat piis oculis filij vulnera, per quæ sciebat omnibus futurâ Redemptionem. Spectabat non degeneri Mater spectaculo, quæ non metueret peremptorem. Pendebat in Cruce Filius, Mater se persecutoribus offerebat.

*R.* Quis tibi sensus fuit, ô Mater Dolorum: \* Dum Joseph sindone filium tuum involvit, & posuit eum in monumento.

*V.* Considerate, & videte si est dolor, sicut dolor meus. Dum.

*Ex ejusdem Epist. 25. ad Eccl. Vercel. propè finem.* *Lectio viii.*

**M**Aria Mater Domini ante Crucem Filii stabat. Nullus me hoc docuit, nisi S. Joannes Evangelista. Mundum alii concussum in Passione Domini conscripserunt, Cælum tenebris obductum, refugisse Solem, in Paradisum Latronem, sed post piam confessionem, receptum. Joannes docuit, quod alii non docuerunt, quemadmodum in Cruce positus Matrem appellaverit. Pluris putatur, quòd Victor suppliciorum, pietatis officia Matri exhibebat, quàm quod regnum Cœleste donabat. Nam si religiosum est, quod Latroni donatur venia, multò uberioris pietatis est, quod à Filio Mater tanto affectu honoratur.

*R.* In toto corde tuo gemitus Matris tuæ

ne obliviscaris: \* Ut perficiatur propitiatio,  
& benedictio. *Ps.* Ave Princeps generosa,  
Martyrúmque prima Rosa, Virginúmque  
Lilium. Ut perficiatur Gl. Pat. Ut perfic.

*Lectio 9. de Homil. Dominicæ occur.*

*Ad LAUDES, & per Horas, Antiph.*

**Q**Uò abiit dilectus tuus, ô pulcherrima  
mulierum? quò declinavit dilectus  
tuus, & quæremus eum tecum?

*Psalms. Dominus regnavit. cum reliq. de  
Laudib. Dominicæ.*

*Antiph.* Recedite à me, amarè flebo, no-  
lite incumbere, ut consolemini me.

*Antiph.* Non est ei species, neque decor,  
& vidimus eum, & non erat aspectus.

*Antiph.* A planta pedis usque ad verticem  
capitis non est in eo sanitas.

*Antiph.* Fulcite me floribus, stipate me  
malis, quia amore langueo.

*Capitulum. Tbren. 2.*

**C**Uì comparabo te? vel cui assimilabo  
te, Filia Jerusalem? cui exæquabo  
te, & consolabor te, Virgo Filia Sion? ma-  
gna est velut mare contritio tua.

*Hymnus.*

**S**Umme Deus clementiæ,  
Septem Dolores Virginis,  
Plagásque Jesu Filii  
Fac ritè nos revolvere.

Nobis salutem conferant  
Deiparæ tot lacrymæ,

Quibus lavare sufficis

Totius orbis crimina.

Sit quinque Jesu vulnerum

Amara contemplatio,

Sint & dolores Virginis

Æterna cunctis gaudia.

Jesu tibi fit gloria,

Qui passus es pro servulis,

Cum Patre, & almo Spiritu,

In sempiterna sæcula. Amen.

℣ Maria Virgo per virtutem tot dolorū.

℞. Fac nos gaudere in regno cœlorum.

*Ad Benedictus, Antiphona.*

Venite, ascendamus ad Montem Domini, & videte, si est dolor sicut dolor meus.

*Oratio.*

Deus, in cujus passione. *ut supra.*

*Deinde fit commemor. Dominicæ occur.*

*Ad Primam in ℞. br. dicitur ℣. Qui passus es propter nostram salutem.*

*Ad Tertiam, Antiphona.*

Recedite à me.

*Capitulum.* Cui comparabo te.

℞ *br.* O vos omnes, \* Qui transitis per am. O vos. ℣. Attendite, & videte, si est dolor, sicut dolor meus. Qui transitis. Gloria Patri. O vos omnes.

℣. Defecerunt præ lacrymis oculi mei.

℞. Conturbata sunt omnia viscera mea.

*Ad Sextam, Antiphona.*

Non est ei species.

*Capit.*

*Capitulum. Tbren. 1.*

**P**Lorans ploravit in nocte, & lacrymæ ejus in maxillis ejus, non est: qui consoletur eam ex omnibus charis ejus.

*R. br.* Defecerunt, \* Præ lacrymis oculi mei. Defecerunt. *Ps.* Conturbata sunt omnia viscera mea. Præ lacrymis. Gloria Patri. Defecerunt.

*Ps.* Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi.

*R.* Inter ubera mea commorabitur.

*Ad Nonam, Antiphona.*

Fulcite me.

*Capitulum. Tbren. 2.*

**D**Educ quasi torrentem lacrymas per diem, & noctem: non des. requiem tibi, neque taceat pupilla oculi tui.

*R. br.* Fasciculus myrrhæ, \* Dilectus meus mihi. Fasciculus. *Ps.* Inter ubera mea commorabitur. Dilectus meus. Gloria Patri. Fasciculus.

*Ps.* Anima mea liquefacta est.

*R.* Ut dilectus locutus est.

*In II. Vesp. dicuntur omnia ut in primis.*

*Ps.* Regina Martyrum, ora pro nobis.

*R.* Quæ juxta Crucem Jesu constitisti.

*Ad Magnificat, Antiphona.*

Oppressit me dolor, & facies mea intumuit à fletu, & palpebræ meæ caligaverūt.

*Oratio.*

Deus, in cujus passione. *ut supra.*

*Et fit commem. Dominicæ.*

## FESTA OCTOBRIS.

Dom. 1. Octob. quæ incidit in Calendas vel proximè fequitur.

In Feflo Rosarij B. M. V. Duplex maj. ex Decr. Bened. XIII. 10. Martij 1725.

*Omnia ut in Feflo ad Nives 5. Augufti.*

*Vel Feflo de Mercede Captiv. 24. Sept.*

*Ant. ad Magnif. Sancta Maria, ut ibi.*

*Loco feftivitatem dicitur Solemnitatem.*

*Oratio.*

**D**Eus, cujus Unigenitus, per Vitam, Mortem, & Refurrectionem fuam, nobis falutis æternæ præmia comparavit: concede, quæfumus; ut hæc Myfteria Sanctiffimo Beatæ Mariæ Virginis Rosario recolentes, & imitemur quod continent; & quod promittunt affequamur. Per eund.

*Et fit commem. Dominicæ occur.*

*In II. Nocturno. Lectio iv.*

**C**UM Albigenfium hærefis per Tolofatum regionem impiè gralfaretur, atque altiùs in dies radices ageret, Sanctus Dominicus, qui nuper Prædicatorum Ordinis fundamenta jecerat, ad eam convellendam totus incubuit. Id ut præftaret validiùs, auxilium Beatæ Virginis, cujus dignitas illis erroribus impudentiffimè petebatur: cuique datum eft cunctas hærefes interimere in univerfo Mundo, enixis precibus imploravit: à qua ( ut memoriæ proditum eft ) cùm monitus effet, ut Rosari-

um Populis prædicaret, velut singulare adversus hæreses, ac vitia præsidium; mirum est, quanto mentis fervore, & quàm felici successu injunctum sibi munus sit executus. Est autem Rosarium certa precandi formula, qua quindecim Angelicarum Salutationum decades, oratione Dominica interjecta, distinguimus, & ad earum singulas totidem nostræ reparationis mysteria pia meditatione recolimus. Ex eo ergò tempore pius hic orandi modus mirabiliter per Sanctum Dominicum promulgari, augerique cœpit; quem ejusdem Instituto-rem, Authorémque fuisse Summi Pontifices, Apostolicis litteris, passim affirmârunt.

℞. Sicut cedrus exaltata sum in Libano, & sicut cypressus in monte Sion: quasi myrrha electa, \* Dedi suavitatem odoris.

℥. Et sicut cinnamomum, & balsamum aromatizans. Dedi.

*Lectio v.*

**I**Nnumerabiles porrò fructus ex hac tam salutari institutione in Christianam Rempublicam dimanârunt, inter quos victoria illa meritò numeratur, quam Sanctissimus Pontifex Pius V, & ab eo inflammati Christiani Principes apud Echinadas Insulas de Turcarum Tyranno potentissimo reportârunt. Nam, cùm illa ipsa die ea Victoria relata sit, qua die Sanctissimi Rosarii Sodalitates per universum orbem consuetas



fuctas fupplicationes peragerent, ftatutásque preces de more funderent : ijs precibus haud immeritò refertur accepta. Quod quidem, cùm etiam Gregorius Decimus tertius teftatus eſſet ; ut pro tam fingulari beneficio Beatæ Virgini ſub appellatione Roſarii perennes gratiæ ubique terrarum haberentur ; in Eccleſiis omnibus, in quibus Altare Roſarii foret, prima quaque Oðobris Dominica Officium ritu duplici majori perpetuò celebrandum indixit : alijsque Pontifices Roſarium recitantibus, ejuſdemque Roſarij Sodalitatibus Indulgentias penè innumeras conceſſere.

R. Quæ eſt iſta, quæ proceſſit ſicut Sol, & formoſa tamquam Jeruſalem? \* Viderunt eam filiæ Sion, & beatam dixerunt, & reginæ laudaverunt eam. ¶ Et ſicut dies verni circumdabant eam flores roſarum, & lilia convallium. Viderunt eam.

*Leſtio vi.*

**N**Uper verò Clemens XI. animo reputans inſignem pariter Victoriã anno millefimo ſeptingentefimo decimo ſexto in Hungariæ regno à Carolo VI. in Imperatorem Romanorum electo, de innumeris Turcarum copiis relatam, eo die contigiffe, quo Feſtum Dedicacionis Sanctæ Mariæ ad Nives celebraretur, atque eodem fermè tempore, quo Sanctiffimi Roſarii Confratres publicam, ſolemnemque  
 ſup-

supplicationem in Alma Urbe ingenti populi concursu, magnâque religione peragentes, fervidas ad Deum preces pro Turcarum depressione funderent, ac potentem opem DEI paræ Virginis in auxilium Christianorum humiliter implorarent; eam ob rem Victoriâ illam, nec non liberatam paulò post eorundem Turcarum obsidione Corcyrensem Insulam ejusdem Beatæ Virginis patrocinio piè censuit adscribendam. Quamobrem, ut hujus quoque tam insignis beneficii perennis semper, & memoria extaret, & gratia; Sanctissimi Rosarii Festum eadem die, eodémque ritu celebrandum ad Ecclesiam universam extendit. Hæc autem omnia Benedictus XIII. in Breviario Romano novissimè apponi jussit. Sanctissimam ergò DEI Genitricem cultu hoc eidem gratissimo jugiter veneremur, ut quæ toties Christi fidelibus, Rosarii precibus exorata, terrenos hostes profligare dedit, ac perdere, infernos pariter superare concedat.

*R.* Ornatam monilibus filiam Jerusalem Dominus concupivit: \* Et videntes eam filiæ Sion, beatissimam prædicaverunt, dicentes: \* Unguentum effusum nomen tuum.

*V.* Astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate. Et videntes. Gloria Patri. Unguentum.

## XVII. OCTOBRIS.

In Festo. S. HEDWIGIS Viduæ Semid.  
 Olim ad libit. cum Orat. de com. Exaudi.  
 Nunc ex Decr. 6. Martij 1706. de præcept.  
 cum Orat. propria.

*Omnia ut in com. nec Virg. nec M. præter seq.  
 Oratio.*

**D**Eus, qui beatam Hedwigem à sæculi  
 pompa ad humilem tuæ crucis seque-  
 lam toto corde transire docuisti : concede,  
 ut ejus meritis & exemplo discamus peri-  
 turas mundi calcare delicias, & in ample-  
 xu tuæ crucis omnia nobis adversantia su-  
 perare. Qui vivis & regnas.

*Lectiões II. Noct. propr. quæ habentur in  
 Brev. usq. 1700. impress. si non in ordine, sal-  
 tem inter festa ad libitum.*

## XXI. OCTOBRIS.

In Festo S. URSULÆ & Soc. VV. MM.  
 Duplex in Germania.

*Omnia de com. VV. MM. præter sequentia.*

*Oratio. Da nobis. Com. S. Hilar. Abb.*

*Lect. I. Noct. de Script. occur.*

*In II. Noct. Lectio iv.*

**G**Ratiano Imperatore, Flavius Cle-  
 mens Maximus Romani exercitus in  
 Britania Dux, arrepta tyrrannide, Impe-  
 rator à militibus acclamatur. Inde copias  
 in Gallias transmittens, ab infensis Gra-  
 tiano legionibus exceptus, Imperium sibi  
 cor-

corroborat. Cumque Armoricorum ubere-  
rem regionem ejectis antiquis habitatori-  
bus Britan̄icis militibus, quos secum duxe-  
rat, divisisset, quo novas Colonias propa-  
garet in posteros: Connani Britannici Re-  
guli, quem Britannorum Ducem habebat  
in exercitu consilio, missa legatione in Bri-  
taniā, singulis militibus novis colonis,  
singulas virgines conjugio fœderandas po-  
stulat. *R.* Propter veritatem. pag. 49.

*Lectio v.*

**H**Aud visa Britanniā Regulis absurda  
petitio, unde in gratiam novi Impe-  
ratoris, & quod filias suas non nisi gentili-  
bus suis, iisque donatis novā provinciā  
prædivitibus, honestissimè collocandas sci-  
rent, pro numero militum, totidem dele-  
ctæ sunt virgines, omnes numero undecim  
mille, quarum Princeps erat Ursula Dio-  
noci Cornubiæ Regis filia desponsata Con-  
nani o Duci Britannorum militum in exer-  
citu Maximi. Cunctæ igitur Londini col-  
lectæ, impositæ sunt invitæ navigiis, sol-  
ventes nautæ, dum Armoricorum Regio-  
nem cogitant, à sæva procella in germani-  
cum littus deiciuntur.

*R.* Dilexisti justitiam. pag. 50.

*Lectio vi.*

**C**ontigit adesse tunc ibi Hunnorum co-  
pias, quas à Gratiano Imperatore ad-  
versum Maximum evocatas ferunt. Nasti

igitur Barbari præclarum illud Virginum agmen, impudenti libidinis æstu furentes, in eas irruunt. Sed cum hortante Ursula, mortem potius oppetere, quàm Virginei pudoris jacturam pati, invicto animi vigore decrevissent. Hunni in rabiem immanitatis conversi ad unam omnes trucidant. Sicque Ursula super comitum suarum, velut cœlestium margaritarum pretiosum acervum gloriosa victima procumbens, purpura pro Christo fusi sanguinis decorata, triumphatorem tot Virginum exercitum, geminis nempe Virginitatis & martyrii laureis insignem ducens cœlum victrix intravit. Quarum corpora Colonienses summo honore condiderunt: earumque illustrem agonem Christianus orbis florenti semper memoria celebrat. *R. Afferentur. pag. 51.*

*In II. Nocturno Homil. in Evang. Simile est Regnum cœlorum decem Virginib. de com. Virg. 9. Lect. de S. Hilar. Abb.*

### XXXI. OCTOBRIS.

In Festo S. Wolfgangi Episc. Conf. Dupl.  
*Omnia de com. Conf. Pont. præter. seq.*

*Oratio.*

**D**Eus, qui nobis æternæ salutis beatum Wolfgangum Episcopum, & ministrum tribuisti: præsta quæsumus; ut quem Doctorem vitæ habuimus in terris, intercessorem habere mereamur in cœlis. *Per Dominum &c.*

*In*

**W**olfgangus, nobili in Suevia genere prognatus, rerum exterarum fuit, & sui contemptor egregius, solùm ex animo Deum quærens honores: amplissimos ab Henrico Trevirensium Episcopo sibi oblatos recusavit; illoque demortuo, & sollicitationibus aliorum contemptis, monasticam tandem vitam, cujus semper desiderio flagraverat, est amplexus. Sacris Ordinibus à B. Udalrico initiatus, cùm in Pannoniam, prædicandi Evangelij causa, se priùs contulisset, propter conjunctam in eo eximia cum pietate prudentiam, Othonis Imperatoris studio, totiusque Cleri, & populi acclamatione, Ecclesiæ Ratisponensi ritè præficitur. *R. Inveni David. pag 3.*

*Lectio v.*

**S**uscepto Episcopatus munere, gregem Domini verbo pavit & exemplo, sanctissimisque Ecclesiam temperavit institutis. Monasterio S. Emmerani, quod jam diu Episcopi administraverant, restitutis proventibus, magno illius bono insignem virum Romualdum præposuit. Sanctimonialium Cœnobium, quod ipse fundaverat, tam sanctè instituit, ut collapsa in alijs disciplina, eo exemplo sit facile restaurata, novòque pietatis odore capta Brigida, Bavarix Ducis filia, Sponsum Christum secu-

ta, ad facras fe Virgines aggregavit. Bohemis, quo ampliora apud illos fides incrementa caperet, contempto fuæ Ecclefiæ detrimento, rejectis aliorum confilijs, proprium dari Epifcopum libentiffimè permiffit. *R.* Pofui adjutorium. *pag.* 4.

*Lectio iv.*

**E**Gregiam viri Sanctitatem comprobaverunt energumeni, & varijs languoribus opprefsi, quos precatione fanavit. Divino afflatus inflinctu, sanctum Henricum Imperatorem regnaturum, fratrem ipfius Brunonem ad Epifcopatum promotum iri, è fororibus alteram Reginam, Abbatiffam alteram fore prædixit. Denique cum viginti & amplius annis in feduli Pastoris munere peractis, extremum fibi diem imminere intelligeret, quæ ex ufitata liberalitate supererant, per manus pauperum præmiffit, sacræque Euchariftiæ viatico præmunitus, in sancti Othmari æde, ut divinitus antea futurum acceperat, sanctiffimam vitam pari morte conclufit, Ratisponæ in templo sancti Emmerani feputus.

*R.* Iste eft. *pag.* 5.

*In III. Noct. Homil. in Evang. Vigilate, quia nescitis: de eodem communi.*

*Nona Lect. de Homil. Vigil. Omnium Sanctorum, cujus etiam fit com. in Laud.*

## FESTA NOVEMBRIS.

9. In Festo Dedicat. Salvatoris.

Ex Decr. Benedicti XIII. 14. Sept. 1728.

*In fine sextæ Lect. addi debent sequent.*

Eandem Ecclesiam incendiis, vastationibus, terræ insuper motibus disiectam everfamque, ac sedula Summorum Pontificum cura reparatam, nova postmodum molitione restitutam, Benedictus decimus tertius Pontifex Maximus Ordinis Prædicatorum die vigesima octava Aprilis anni millesimi septingentesimi vigesimi sexti ritu solemni consecravit, ejusque celebritatis memoriam hac die recolendâ statuit.

## X. NOVEMBRIS.

In Festo S. ANDREÆ Avellini Conf. Sc.

mid. ex Decr. Bened. XIII. 7. Jul. 1725.

*Omnia de com. Conf. Pont. præter sequent.**Oratio.*

**D**Eus, qui in corde Beati Andreæ, Confessoris tui, per arduum quotidie in virtutibus proficiendi votum, admirabiles ad te ascensiones disposuisti: concede nobis ipsius meritis, & intercessione, ita ejusdem gratiæ participes fieri, ut perfectiora semper exequentes, ad gloriæ tuæ fastigium feliciter perducamur. Per Dñm.

*In I. Noct. Lect. de Script. occur.**In II. Noct. Lectio iv.*

**A**Ndreas Avellinus, dictus antea Lancello,



cellotus, apud Castrum Novum Lucaniae  
 pagum natus, inter ipsa infantiae primor-  
 dia futuræ sanctitatis non obscura præbuit  
 indicia. Adolescens ad litteras addiscendas  
 paterna è domo egressus, lubricam illius  
 ætatis semitam inter bonarum artium stu-  
 dia ita peregit, ut sapientiæ initium, quod  
 est timor Domini, ob oculos potissimum  
 habere nunquam prætermiserit. Cùm eg-  
 regia proinde forma eximium castitatis stu-  
 dium conjunxit, quo impudicas sæpè mu-  
 lierū insidias elusit, interdum etiam aper-  
 tam vim propulsavit. Clericali militiæ jam  
 pridem adscriptus Neapolim se contulit,  
 ut legalibus disciplinis vacaret; ibique ju-  
 risprudentiæ lauream adeptus, atque inte-  
 reà ad sacerdotalem dignitatem evectus,  
 causarum patrocinia in foro dumtaxat Ec-  
 clesiastico; pròque privatis quibusdam per-  
 sonis juxtà Sacrorum Canonum sanctiones  
 agere cœpit. Verùm cùm aliquando inter  
 causam agendam leve ei mendacium exci-  
 disse, mox verò fortuita sacrarum Scrip-  
 turarum lectione in illa verba incidisset:  
 Os quod mentitur, occidit animam; tanto  
 ejus culpæ dolore, ac pœnitentia correp-  
 tus est, ut statim ab ejusmodi vitæ institu-  
 to sibi recedendum esse duxerit. Itaque  
 abdicatis forensibus curis; se totum divino  
 cultui, sacrisque ministerijs mancipavit:  
 cùmque Ecclesiasticæ virtutis exemplis  
 emineret, sanctimonialium regimini à tunc

existente Archi-Episcopo Neapolitano Præfectus fuit. Quo in munere cum pravorum hominum odia subiisset, primò quidem intentatæ sibi necis periculum declinavit, mox verò per sicarium tribus in facie acceptis vulneribus, injuriæ atrocitatem æquo animo pertulit. Tunc perfectioris vitæ desiderio flagrans, ut inter Clericos Regulares adscriberetur, suppliciter postulavit, votique compos factus, ob ingentem, quo æstuabat, Crucis amorem, ut sibi Andreae nomen imponeretur, precibus impetravit. *R. Honestum fecit. pag. 52.*

*Lectio v.*

**A**Rtioris itaque vitæ curriculum alacri studio ingressus, in eas maximè virtutis exercitationes incubuit, ad quas sese arduis etiam emissis votis obstrinxit, altero scilicet suæ ipsius voluntati jugiter obsistendi, altero verò in via Christianæ perfectionis semper ulterius progrediendi. Regularis disciplinæ cultor assiduus, & in ea promovenda, cum alijs præesset, studiosissimus fuit. Quidquid ab instituti sui Officij, & Regulæ præscripto supererat temporis, orationi, & animarum saluti tribuebat. In confessionibus excipiendis mira ejus pietas, & prudentia enituit, vicos, & oppida Neapoli finitima Evangelicis ministeriis magno cum animarum lucro frequens lustrabat. Quam

tatem fignis etiam Dominus illustravit. Cùm enim intempeſta nocte ab audita *Ægri* confessione domum rediret; ac pluvix, ventorùmque vis prælucentem facem extinxiffet, non ſolùm ipſe cum ſocijs inter effuſiſſimos imbres, nihil madefactus eſt, verùm etiam inuſitato ſplendore, è ſuo corpore mirabiliter emicante, ſocijs inter denſiſſimas tenebras iter monſtravit. Abſtinentia, & patientia, nec non abjectione, atque odio ſui ſummoperè præſtitit. Necem fratris filio illatam imperturbato animo tulit, ac ſuos ab omni ulciſcendi cupiditate compeſcuit, imò etiam pro interfeſtoribus opem, & miſericordiam Judicium imploravit. *R. Amavit eum. pag. 53.*

*Lectio vi.*

**P**Luribus in locis Clericorum Regularium Ordinem propagavit, eorùmque domicilia Mediolani, & Placentix inſtituit. Illius operam S. Carolus Borromæus, & Paulus de Aretio Clericus Regularis Cardinales, quibus erat acceptiſſimus, in Paſtoralis muneris curis adhibuerunt. Deiparam Virginem ſingulari amore, & cultu proſequebatur. Angelorum colloquio perfrui meruit, quos, cùm Divinas laudes perſolveret, è regione concinentes ſe audiviſſe teſtatus eſt. Denique poſt heroica virtutum exempla, Prophetix quoque dono illuſtris, quo & ſecreta cordium, & abſentia,

tia, & futura prospexit, annis gravis, & laboribus fractus, ad aram celebraturus in verbis illis tertio repetitis: Introibo ad Altare DEI., repentino apoplexiæ morbo correptus est, mox Sacramentis ritè munus, placidissimè inter suos animam efflavit. Ejus corpus Neapoli in Ecclesia S. Pauli ad hæc usque tempora eo frequentissimo Populi concursu colitur, quo fuit elatum. Illum denique insignibus in vita, & post mortem miraculis clarum Clemens XI. Pontifex Maximus solemnè ritu Sanctorum Catalogo adscripsit.

R. Iste Homo perfecit. pag. 53.

*In 3. Noct. Homil. in Evang. Sint lumbi vestri præcincti &c. de com Conf. non Pont. 1. loc. 9. Lect. de Ss. Triphone &c. & comem. in Laud.*

## XVII. NOVEMBR.

In Festo S. Gertrudis Virg.

*Duplex. Ex Decret. Clement. XII. 20. Junij 1738.*

*Omnia de commun. VV. præter sequent.*

*Oratio. Exaudi nos.*

*Lect. 1. Noct. de scr. occur.*

*In 2. Noct. Pro interim, donec propriæ prodeant de comun. VV. Quoniam hodie. In 3. Evang. de 10. VV.*

Sequentia Festa sunt ab Anno 1700. usque  
ad Annum 1738. à ritu semiduplic.  
elevata ad ritum duplicis.

15. Jan. S. Pauli 1. Eremitæ ex Decr. 11.  
Jul. 1722.

4. Febr. S. Andreae Corsini Ep. Conf. ex  
Decr. 3. Jan. 1731.

5. Apr. S. Vincenti Conf. 5. Apr. 1726.

21. Apr. S. Anselmi Ep. Conf. 3. Febr. 1720.

4. Maij S. Monicae Vid. 26. Aug. 1730.

7. Maij S. Stanislai Ep. M. 13. Mart. 1736.

26. Jun. Ss. Joan. & Pauli MM. 21. Maij.  
1727.

8. Octobr. S. Brigittæ Vid. 26. Aug. 1726.

19. Octob. S. Petri de Alcant. Conf. ex De-  
cret. de anno 1702. 29. Sept.

29. Sept. S. Wenceslai, quod erat olim ad  
libitum ab anno 1730. est de præcepto  
sub ritu semidupl.

## OFFICIUM.

### *De Sanctissimo Corpore Christi.*

Ex indulto Clementis Papæ XI. dato Ro-  
mæ 17. Aug. 1715. in terris Austriacis,  
sub ritu semid. omnibus ferijs quint. non  
impeditis festo 9. lect. etiam translato  
excepto Advent. Quadrag. & Vigil. tem-  
pore. juxta ten. Decreti 20 Mart. 1706.  
Si in fer. 4. vel 6. occurrerit aliquod festum  
9. lect. Vesperæ ordinandæ erunt juxta  
rubricam de concurr. officij.

In hymn. Compl. & horar. dicit. *Jesu tibi sit glor.* dumodo in Vesp. fiat commem. de Ss. Sacram.

Officium dicitur ut in festo.

Si occur. festum simpl. fit ejus comm. in Vesp. & Laud. & dic. 9. lect. si propria habeatur.

*Lect. 1. Noct. semper de Script. occur.*

*In 2. & 3. Noct.*

In Mense Januario.

Ex ipso festo

In Mense Februar.

In 2. Noct. ex die Sabbathi.

In 3. Noct. ex fer. vi.

In Mense Martio, & Aprili.

In 2. Noct. ex Dom. infr. Oct.

In 3. Noct. ex Sabbatho.

In Mense Majo, & Junio.

Ex fer. 2. infr. Octav.

In Mense julio, & Augusto.

Ex fer. 3. infr. Octav.

In Mense Sept. & Octobri.

Ex fer. 4. infr. Octav.

In Mense Novemb. & Dec.

Ex die Octava. Ita libel. Vinnæ inpress. anno 1716.

## OFFICIUM.

*Immaculatæ Concept. B. M. V.*

Recitandum sub ritu Duplici in omnibus  
 Dominijs Cæsareæ Majestatis extra Ita-  
 liam

liam quolibet Sabbatho non impedito officio 9. lectionum ( exceptis Advent. Quat. temp Vigil. & Quadrag. tempor.) juxta Decr. S. R. C. die 15. Dec. 1727.

Omnia, paucis exceptis dicuntur sicut in die festi.

Loco verbi *Solemnitas* dicitur *commemoratio*, ubi ponitur: *Conceptio est hodie* dicitur: *Conceptio recolitur B. M. V.*

In hymn. Complet. & horar. dicit. *Jesu tibi sit glor. qui natus es.* Etsi solum facta sit commemor.

Si occurrat festum simplex fit ejus com. in in vesp. & laud. & dicitur lect. 9. si propriam habeat.

Ad 8vam lect. dicitur benedict. *cujus fest. colimus ipsa Virga Virginum.*

Lect. 1. Noct. de script. occur.

In 1. R. omittitur *Lij Hodie.*

In 2. & 3. Noct.

In mense Januar. & Febr.

Ex festo 8. Decemb.

In Martio, & Aprili.

Ex 2. die infr. Octavam.

In mense Majo, & Junio.

Ex 3. die infr. Octavam.

In mense Julio, & Augusto.

Ex 5. die infr. Octavam.

In mense Sept. & Octobri.

Ex die 7. infr. Octavam.

In Novemb. & Decembri.

Ex Octava Conceptionis.

## APPENDIX.

*Pro locis, ubi est concessum.*

## IV. MAI 7.

In Festo Ss. Floriani, & Soc. MM. *Duplex.**Omnia de com. MM. temp. pasch. præter**seq.**Oratio.*Deus, qui nos concedis. *Ut in eodem comm. plur. MM.**Lect. 1. Noct de Script curr.**In 2. Noct.**Lectio iv.*

**S**Ævientie Diocletiani & Maximiniani Imperatorum in Christianorum sanguinem persecutione, cum Aquilinus Norici Ripensis Præses, in eosdem Christi cultores acerrimè animadverteret, & ad quadraginta eo nomine vinctos, malèque tractatos in carcerem coniecisset. Florianus iisdem Religionis & militiæ Societate conjunctus, hæc laureaci fieri audiens, sancto fidei ardore incensus, ac sanguinem pro Christo profundere cupiens, eodem advolat, sicque ad excellentioris militiæ coronam glorioso certamine contendit.

*R. Lux perpetua. &c.**Lectio v.*

**V**Idens ergo Christianos ad idolorum Sacrificia perquiri, nihil truculentorum fidei hostium immanitatem veritus, in medium se ultrò profert, liberèque exclamat; quem alium inquires, quæritis? Ecce ego Christianus sum; Ite nuntiate

*Præ-*



Præsidi, me hic adesse. Re ad Præsidem delata: Florianus vincitus adducitur; ac de Confessione sua interrogatus, cum in eadem, & inanium deorum detestatione firmissimè persisteret, fustibus dirè cæditur; ferròque scapulæ ejus crudelissimè sauciantur & confringuntur. Tandem invictus Christi athleta, varijs tormentorum generibus superatis, ob inconcussam fidei constantiam ultimam mortis lætus excipit sententiam. Ligato igitur ad collum ejus saxo, è ponte in Anasum fluvium deijcitur. Nec defuit divina ultio: Nam oculi ejus, qui injectis violenter manibus Martyrem præcipitavit, mox crepuerunt.

R. In servis suis. &c.

*Lectio vi.*

**F**luvijs autem Martyrem Christi suscipiens, elevatis undis, in quoddam eminentius saxum sacrum ejus corpus extulit; quod miro nutu Dei, ab aquila illuc advolante protegebatur; donec à pia quadam matrona, Dei instinctu, inde clam ablatum sepulturæ mandaretur in eo loco, in quo postea celebre Monasterium erectum fuit; quod usquè in hodiernum diem titulo & patrocinio S. Floriani gaudet.

R. Filiaè Jerusalem. &c.

*In 3. Noct. Homil. S. August. Episc. in Evang. Ego sum vitis vos palmites. Ut in commun. temp. pasch. 2. loco.*




# ERRORES

Typi, sic corrigendi.

Pag.	lin.		lege
13	7	Rex	lex
26	2	Ee	Et
	7	Contingerat	Contigerat
30	8	roborar	roborat
31	18	cap. 26.	cap. 2.
54	3	convenirent	convenerint
56	26	afflatus	afflatu
122	8	in via	in viam
123	14	privilegio	pervigilio
128	19	comissa	comissam
137	2	intercessionibus	Intercedentibus
138	23	quoque	quaque
142	26	Implicabile	implacabile
142	22	Sept. 736	Sept. 1726.
147	12	Angelico	Anglico
159	8	sedecens	secedens
	16	parentibus	Patentibus
160	1	insidiasque	insidias, quæ
162	23	fastu	statu
192	24	sec. Matth.	sec. Joan.
Leviore errores prudens Lector suâ dexterritate corriget.			

# FINIS.



# T A B U L A.

Ortus & occasus Solis, nec non temporis,  
quo Missam dicere, & quo Matutinum pro  
die sequenti anticipare licet.

Directa ad latitud. poli 46. & 15. min. ac  
circumvicinorum locorum. Nota una hora  
continet 60. minuta.

Auth. J. D. F. de Gr. P. W.

Mensis	Dies.	ortus solis.		occas. solis.		Hora missæ		Hora mat.		Dies.	Mensis.
		h. m.	h. m.	h. m.	h. m.	h. m.	h. m.	h. m.	h. m.		
Dec.	22	7	48	4	11	5	22	2	5	22	Dec.
Jan.	1	7	46	4	13	5	20	2	6	12	Dec.
Jan.	10	7	40	4	19	5	16	2	9	2	Dec.
Jan.	20	7	32	4	27	5	10	2	13	22	Nov.
Jan.	30	7	18	4	41	4	59	2	20	13	Nov.
Febr.	9	7	4	4	55	4	47	2	27	3	Nov.
Febr.	18	6	49	5	10	4	33	2	35	24	Octo.
Febr.	24	6	41	5	18	4	26	2	39	19	Octo.
Mart.	11	6	16	5	43	4	1	2	51	3	Octo.
Mart.	22	6	0	6	0	3	43	3	0	23	Sept.
Mart.	31	5	43	6	16	3	24	3	8	13	Sept.
Apr.	10	5	27	6	32	3	3	3	16	3	Sept.
Apr.	21	5	10	6	49	2	42	3	24	24	Aug.
Apr.	26	5	3	6	56	2	32	3	28	19	Aug.
Maj.	6	4	48	7	11	2	7	3	35	8	Aug.
Maj.	17	4	35	7	24	1	43	3	42	29	Jul.
Maj.	27	4	24	7	35	1	20	3	47	18	Jul.
Jun.	6	4	16	7	43	1	1	3	51	8	Jul.
Jun.	17	4	12	7	47	12.	49	3	53	27	Jun.
Jun.	22	4	11	7	48	12.	47	3	54	22	Jun.

# Varia Decreta S. R. Congreg.

*Quorum notitia Sacerdotibus non solum utilis, sed & necessaria est ad servandam uniformitatem in Divinis functionibus, Divino officio, & Ss. Missæ Sacrificio excerpta ex Claudio de la Croix L. 6. p. 2. c. 3.*

1. In feria sexta in parasceve non est administranda Eucharistia, nisi infirmis 19. Febr. 1622.

2. In paramentis nigris non est administranda Eucharistia. 22. Jan. 1701.

3. Ne fiat concio coram Ss. Sacramento in altari exposito capite tecto 16. Febr. 1630.

4. Infra Octavam Ss. Corporis Christi non sunt dicendæ Missæ votivæ aut de Requiem. 21. Jun. 1670.

5. Durante expositione Ss. Sacramenti non potest regulariter celebrari missa de Requiem neque cantari pro adimplenda mente Testatoris sive anniversario satisfaciendi, licet currat officium hujusmodi missas admittens. 2. Decemb. 1684.

6. In festo Corporis Christi defertur Eucharistia à Celebrante. 12. Jun. 1627.

7. In Tabernaculo, ubi asservatur Ss. Sacramentum, non sunt retinendæ Reliquiæ, nec vasa Sacrorum Oleorum, nec aliud. 22. Febr. 1593.

8. Omnes de Clero etiam Canonici Eucharistiam sumant de manu celebrantis in Feria V. in Cœna Domini. 17. Sept. 1608.

9. Non

9. Non licet in Ecclesijs, in quibus non asservatur Ss. Sacramentum celebratio Missæ in Cœna Domini, nec ejusdem Augustissimi Sacramenti asservatio in Sepulchro. 24. Jun. 1659.

10. Sola ratione Ss. Sacramenti expositi non est dicendum Symbolum in missis privatis. 2. Dec. 1684.

11. Potest fieri cœmemoratio de Ss. Sacramenro, si expositum sit, etiam in missa de festo duplici, quod non sit 1æ. vel 2æ. classis. 2. Dec. 1684.

12. Matutinum defunctorum pro generali eorum cœmemoratione recitandum est manè die 2. Novembr. non vero pridie vesperi. 1. Sept. 1607.

13. Sacrificia in die cœmemorationis omnium fidelium defunctorum possunt applicari ad libitum, scilicet in genere pro omnibus, tum in specie, pro aliquibus defunctis. 4. Aug. 1663.

14. In Altari privati oratorij, cui conceditur celebratio missæ, non potest tamen celebrari in Natali Domini, Epiphaniæ, prima die Paschatis, & prima Pentecost. Annunc. & Assumpt. B. M. V. festo Ss. Apostol. Petri, & Pauli, & Omnium Ss. quibus additur Sabbatum S. 17. Nov. 1607.

15. In festo duplici non sunt dicendæ missæ votivæ aut de Requiem. 5. August. 1662. quod intelligendum est etiam de festo duplici translato.

16. In Dominicis & Festis conceditur missa solemnis pro defunctis insepulto corpore. 23. Maij 1603.

17. Non sunt transferendæ missæ de Requiem quæ ex Benefactorum præscripto celebrandæ incidunt in festum duplex, sed dicendæ sunt de festo occurrente cum applicatione sacrificij juxta mentem Benefactorum 15. Aug. 1662.

18. Missæ de festo duplici celebratæ in altari animabus perpetuo privilegiato, & in quo proinde quotidie etiam in duplicibus celebrandæ essent missæ de Requiem ex obligatione, suffragantur, ac si celebratæ fuissent pro defunctis juxta formamprivilegiorum. 22. Jan. 1667.

19. Decretum hoc extenditur etiam ad altaria non in perpetuum, sed ad septennium seu aliud brevius ac longum tempus, ac non omnibus, sed aliquo, vel aliquibus tantum hebdomadæ diebus privilegiata, ac proinde missæ de festo duplici, quæ five ex obligatione, five ex sola fidelium devotione celebrabuntur, suffragantur; ac si celebratæ fuissent pro defunctis. 23. Sept. 1669.

20. Sacerdotes, five Capellani sint, five non, qui recitant officium semiduplex, simplex, vel feriale, si celebrent in aliqua Ecclesia Regularium, in qua fit de festo duplici, non debent dicere missam de Requiem. 9. Jun. 1668.

21. Quod

21. Quod si festum illud duplex, de quo agunt Regulares ( sub quo nomine veniunt etiam Moniales ) habuerit missam propriam omnibus & solis Regularibus concessam, Sacerdotes sæculares celebrantes in eadem Ecclesia Regularium, missam quidem dicant de festo duplici, sed cum missali Romano. 19 Nov. 1622.

22. Infra Octavam Epiphaniæ, Paschatis, & Pentecostes, nec non in Feria iv. Cinerum, in Hebdomada majori, in Dominicis & Vigilijs Nativitatis Domini, & Pentec. non possunt dici missæ votivæ privatæ nec de Requiem. 28 Aug. 1627.

23. In Vigilia Epiphaniæ omnino prohibentur missæ votivæ & de Requiem 27. Apr. 1697.

24. Si processio Lytaniarum majorum terminetur ad Ecclesiam S. Marci, canteur ibi missa de S. Marco, non verò de Rogationibus 23. Maij 1603.

25. Non sunt inferendi in Lytanijs alij Sancti præter ibi descriptos, neque tempore pestis addendi sunt Titulares & Civitatis Patroni sive speciali concessione. 22. Mart. 1631.

26. Cereus paschalis regulariter accendendus est ad missas, & vesperas solemnes in triduo Paschatis, in Sabbato in Albis, & in Dominicis post Ascensionem, in alijs servanda est locorum consuetudo. 19. Maij 1607.



27. Ecclesia Parochialis in diœcesi venit sub nomine Matricis, antequam idcirco neque Regulares, neque confratriæ possunt campanas pulsare in Sabbato Sancto. 9. Febr. 1609.

28. Neque Abbates, neque Regularium Superiores possunt benedicere Paramenta Ecclesiarum. 24. Aug. 1609.

29. Non est relinquendum officium debitum pro officio devotionis. 29. Nov. 1603.

30. Inferiores Episcopo non possunt fumere de altari paramenta pro missa. 7. Jul. 1712.

31. Si in communibus Sanctorum Suffragijs facienda sit commemoratio de cruce tamquam de titulo Ecclesiæ, sufficiet ea ordinaria, quæ habetur in psalterio, quando scilicet officium currat feriale. 30. Mart. 1631.

32. Absente Episcopo benedictiones candelarum, cinerum, palmarum, & fontis fiant ab eo, qui cantaturus est missam. 12. Jun. 1627.

33. In fine missæ ad quocunque altare celebratæ fit reverentia cruci infra gradus capite semper aperto. 28. Aug. 1627.

34. Non licet in media nocte Nativitatis Dominicæ celebrare alias duas missas, & in eis sacram communionem exhibere fidelibus illam deposcentibus, sed utrumque omnino prohibitum. 7. Dec. 1741.

35. Passio in Hebdomada majori legenda

da in missis privatis in cornu Evangelij, licet in missa solemni legatur à celebrante in cornu Epistolæ. 4. Aug. 1663.

36. Non solum Cruces & Imagines Salvatoris, sed etiam icones altarium, & omnes aliæ imagines Sanctorum tegendæ sunt in primis vesperis de Dominicâ Passionis. 4. Aug. 1663.

37. Ad Octavam benedict. in festo Convers. S. Pauli Apost. non dicitur: *Cujus conversionem collimus*, sed *cujus festum*. 23. Febr. 1666. Patet hinc, quid faciendum in officijs translationis, inventionis, & similium.

38. Non est transferendū in diem imediatè sequentem festum illud ante cuius translationē habentur reponenda alia officia prius translata ejusdem ritûs non obstante Decr. edito sub 30. Sept. 1679. Quo ad verò festum semiduplex in Dom. infra oct. occurrens omninò servanda est Rubrica generalis Breviarij de transl. festorum. n. 5. 22. Dec. 1696.

39. Officium semiduplex in Dom. infra octavam occurrens tantum habet juris in feria 2. imediatè sequenti non impedita, ut non cedat duplici primæ classis translato. 16. Sept. 1702.

40. Si plura sint transferenda festa, quæ eadem die occurrunt, & quibus non convenit ratio majoris dignitatis, attendatur in eorum repositione major apparatus,  
vel

vel populi concursus, ex quo vocatur etiam major solemnitas, supposito tamen, quod sint ejusdem ritus. 20. Jul. 1686.

41. Si occurrerint, vel fuerint transferenda duo festa ejusdem ritus, quæ unicâ die occurrebant, quorum unum sit universale, & alterum particulare alicujus diœcesis vel religionis, prius fiat de universali, deinde de particulari, nisi obstet ratio majoris dignitatis. 27. Sept. 1698.

42. Translato festo, in cujus die conceditur indulgentia, non transfertur etiam indulgentia, nisi ex concessione speciali. 20. Jun. 1690.

43. Evangelium pro solemnî palmarum benedictione canendum est in cornu epistolæ ab illo, qui celebrat absque Diacono, & Subdiacono. 27. Apr. 1697.

44. Interdicitur omnibus ac singulis facultas assignandi diem fixum Sanctis translatis, sine speciali Decreto. 28. Nov. 1682.

45. In Sabbato Sancto omnino prohibentur missæ privatæ etiam post pulsationem campanarum in quacunque Ecclesia, aut oratorio privato non obstante contrariâ consuetudine. 11. Febr. & 11. Martij 1690.

46. Officia concessa semel in hebdomada non sunt celebranda in Adventu, Quadages. Quat. Tempor. nec non Vigilijs, nisi aliter in concessione exprimat. 1. Mart. 1681.

DECRE.

# DECRETUM

Urbis, & Orbis

De Feflo S. Joachim.

**C**Um enixè & fapius Sacra Cafarea Majeflas inftiterit, ut feftum S. Joachim perinde ac S. Annæ Conjugis effer in univerfali Ecclefia de præcepto, Sacra Rituum Congregatio Eminentiffimo & Reverendiffimo D. Card. Gotto referente re maturè nec femel difcuſſà ita denique cenſuit annuendum, ut, ne fefta de præcepto multiplicentur, debitus tamen honor Genitori Matris Dei non denegetur, feftum ejufdem S. Joachim à die 20. Martij ad Dominicam poſt Affumptionem Beatiffimæ Virginis ejus Filiæ transferatur, in eaque ſub dupl. majori, ut & feftum S. Annæ Conjugis ſub eodem ritu deinceps celebretur, ſi Sanctiffimo Domino noſtro placuerit. Die 20. Sept. 1738.

Facta igitur de prædictis per me inſcriptum Secretarium eidem Sanctiffimo relatione Sanctitas ſua, ut Sanctiffimorum Matris DEI Genitorum cultus augeatur, libenter approbavit, atque ita impoſterum ſervari ubique mandavit. Die 3. Octob. ejufdem anni 1738.

Card. de Marinis Præf.

Loco † Sigilli.

F. Patriarch. Hieroſol. S. R. C. Secret.

)(

VI.

*VI. hujus igitur decreti celebrabitur Festum S. Joachim ritu dupl. maj. semper in Augusto Dom. infra Oct. Assumpt. B. M. V. & 20. Martij nihil fiet de eo. Hinc pro commoditate majori ponitur hic in Supplemento ejus officium, ne necesse sit illud quærere in parte verna.*

*Dom. infr. Oct. Assumpt. B. M. V.  
In Festo S. Joachim Patris B. M. V.*

*Duplex majus.*

*Omnia de comm. Conf. non Pont. præter seq.*

*In vesp. & laud. V. Potens in terra erit semen ejus. R. Generatio recterum benedicetur.*

*Ant. ad Magnif. in 1. vesp. & ad Bened. Laudemus virum gloriosum in generatione sua, quia benedictionem omnium gentium dedit illi Dominus, & testamentum suum confirmavit super caput ejus.*

*Oratio.*

**D**EUS, qui præ omnibus Sanctis tuis Beatum Joachim Genitricis filij tui Patrem esse voluisti: concede quæsumus, ut cujus festa veneramur, ejus quoque perpetuò patrocinia sentiamus. Per eundem Dominum.

*Comem. Dom. occur. & Oct. Assumpt.*

*In 1. Noct. Lectiones de libro Eccli. Beatus vir, qui inventus est. vi. Decreti, quod sic sonat.*

*Lectiones 1. Noct. in officio de festo dupl. majori sumendæ sunt, nisi sint propriae, ex  
ejus*

*ejus communi, non vero ex scriptura occurrenti, licet occurrat initium.* 12. Jul. 1664.

*In II. Nocturno.*

Sermo S. Epiphaniij Episcopi.

*Oratione de Laudibus Virginis, sub init.*

*Lectio iv.*

**D**E radice Jesse ortus est Rex David, & de tribu Regis David Sancta Virgo: Sancta inquam, & Sanctorum Virorum filia: cujus parentes fuerunt Joachim, & Anna; qui quidem in vita sua Deo placuerunt, atque etiam fructum ejusmodi germinaverunt sanctam Virginem Mariam templum simul, & Matrem DEI. Joachim porrò, Anna, & Maria, hi tres Trinitati palam sacrificium laudis offerebant. Joachim enim interpretatur præparatio Domini, eò quòd ex illo præparatum sit templum Domini nempe Virgo. Anna rursus similiter gratia interpretatur, propterea, quod Joachim & Anna gratiam acceperunt, ut accedentibus precibus talem fructum germinarent, sanctam Virginem adepti: Joachim siquidem precabatur in monte, & Anna in horto suo.

℞ *Honestum. ut supra parte 2. pag. 53.*

Sermo S. Joannis Damasceni

*Orat. I. de Virg. Mariae Nativ. circa principium.*

*Lectio v.*

**Q**Uoniam futurum erat, ut Dei Genitrix & Virgo ex Anna oriretur, natura gratiæ fætum antevertere minimè

ausa est: Verum tantisper expectavit, dum gratia fructum suum produxisset. Siquidem oportebat eam primogenitam in lucem edi, quæ rerum omnium conditarum primogenitum, in quo omnia coagmentata sunt, paritura erat. O par beatum Joachim & Anna! Vobis omnis creatura obstricta est. Per vos enim donum omnium donorum præstantissimum Creatori obtulit, nempe castam Matrem, quæ sola Creatore digna erat.

*R.* Amavit eum. pag. 54.

*Lectio vi.*

**E**Xulta Joachim, quoniam ex filia tua natus est nobis, & vocatur nomen ejus magni consilij, hoc est salutis totius mundi Angelus. Pudore afficiatur Nestorius, ac manum ori imponat. Puer hic Deus est. Quonam igitur modo ea DEI Genitrix non sit, quæ peperit? Si quis sanctam Dei Genitricem non confitetur, à Deitate remotus est. Mea non est hæc oratio, quamquam alioqui mea: hanc enim Divinissimam hæreditatem à Theologo Patre Gregorio accepi. O beatum par Joachim & Anna! ac profecto ex ventris vestri fructu immaculati agnoscimini, quemadmodum Christus quodam loco dixit: Ex fructibus eorū cognoscetis eos. Ut Deo gratum erat ac dignum ea, quæ à vobis orta est, vitæ vestræ rationes instituistis. Ca-

ffē

stè enim ac sancte munere vestro functi  
virginitatis thesaurum produxistis.

R. Iste homo. pag. 55.

*In III. Nocturno.*

Lectio S. Evang. secundum Matthæum.

*Lectio vii. Cap. I.*

**L**iber generationis JESU Christi Filij  
David, filij Abraham. Abraham ge-  
nuit Isaac. Isaac autem genuit Jacob. Et  
reliqua.

Homilia S. Joan. Damasceni.

*Ex lib. 4. de fide orthodoxa c. 15. de Domini  
genealogia, & S. Dei Genitricis.*

**Q**uod Joseph ex Davidica tribu origi-  
nem duxerit, Sanctissimi Evangeli-  
stæ Matthæus & Lucas liquidò demon-  
strarunt. Verum hoc inter eos discriminis  
est, quod Matthæus ex Davide per Salo-  
monem Josephum deducit, Lucas autem  
per Natham. At verò Sanctæ Virginis or-  
tum uterque silentio præterijt. Quocirca  
scire opere pretium est, nec apud Hebræ-  
os, nec apud Scripturam Sacram hoc in  
more positum fuisse, ut mulierum genus  
recenseretur. Verum hoc demum lege  
cautum erat, ne tribus ulla uxores ex alte-  
ra tribu accerferet. Ac proindè Joseph,  
qui ex tribu Davidica ortum trahebat, ju-  
stitiamque colebat (hanc enim laudem ei  
tribuit Divinum Evangelium) Sanctam  
Virginem haudquaquam præter legis præ-  
scriptum despondisset, nisi ex eodem scep-  
tro



tro genus duxisset. Ob idque satis habuit Evangelista demonstrasse, unde Joseph ortum traxerit.

*R.* Iste est, qui ante Deum. pag. 56.

*Lectio viii.*

**I**gitur ex stirpe Nathan filij David Levi genuit Melchi & Pantherem. Pantherem autem genuit Barphantherem (namque ita vocabatur. Barphanter rursus genuit Joachim: Joachim denique Sanctam DEI Genitricem. Rursus ex stirpe Salomonis filij David Nathan ex uxore sua genuit Jacob: mortuo autem Nathan Melchi ex tribu Nathan filius Levi ac frater Pantheris uxorem ipsius Nathan, quæ etiam Jacobi Mater erat, matrimonio sibi copulavit, atque ex ea genuit Heli: ita uterini fratres erant Jacob & Heli: ille nimirum ex tribu Salomonis, hic ex tribu Nathan oriundus.

*R.* Sint lumbi vestri. pag. 56.

*Nona Lectio de Homil. Dom. occur.*

*Ubi hoc festum transferri contigerit, erit lectio nona, ut sequitur, vel verò etiam lectio nona jungatur lectioni 8væ, uti ita fieri monet P. Halden Rubricista.*

*Lectio ix.*

**P**orro Heli, qui ex tribu Nathan erat, nullis liberis susceptis, è vita migravit: eaque de causa Jacob ipsius frater, qui  
ex

ex tribu Salomonis fluxerat, ipsius uxorem accepit, fratrique suo semen excitavit, ac Josephum progenuit. Joseph itaque naturâ quidem filius Jacob erat à Salomone oriundus: legis autem ratione patrem habebat Heli ex Nathan oriundum. Quæ cum ita sint, Joachim lectissimam illam, ac sumis laudibus dignam mulierem Annam matrimonio sibi copulavit. Verum, quemadmodum prisca illa Anna, cum sterilitatis morbo laboraret, per orationem, ac promissionem Samuelem procreavit: Eodem modo hæc etiam per obsecrationem & promissionem DEI Genitricem à Deo accepit, ut ne hic quoque cuiquam ex illustribus matronis cederet. Itaque gratia (nam hoc sonat Annæ vocabulum) Dominam parit (id enim Mariæ nomine significatur) verè etenim rerum omnium conditarum Domina facta est, cum creatoris Mater extitit. Te Deum laudamus.

*Ad Laudes. Domine. Quinque talenta. ut in comm. Conf. non Pont.*

*V. & Antiph. propr. ut supra in vesp. Comm. Dom. & Oct. Assumpt.*

*In 2. vesp. totum de comm. præter orat.*

*Comem. Dom. & Oct. Assumpt.*

*Die*  
*Sacr. v. inf. oct. Ass.*

Die 24. Novembris.

In Festo S. JOANNIS à Cruce Conf. *se-  
mid. ex Decr. Clem. XII. 3. Oct. 1738.*  
*Omnia de com. Conf. non Pont. præter seq.*  
*In hymno V. Meruit supremos.*

*Oratio.*

**D**EUS, qui sanctum Joannem Confes-  
sorem tuum perfectæ sui abnegatio-  
nis, & Crucis amatorem eximium effeci-  
sti: concede, ut ejus imitationi jugiter in-  
hærentes, gloriam assequamur æternam.  
Per Dominum.

Commem. S. Chrysog. M. *ubi festum S.*  
*Joan. non transfertur, sicut semper transfer-*  
*tur in Diœc. Aquil.*

In I. Noct. *Lect. de Script. occur.*

In II. Noct.

*Lectio iv.*

**J**OANNES à Cruce Fontiberi in Hispa-  
nia piis Parentibus natus, à primis an-  
nis certò innotuit, quàm Deiparæ Virgini  
futurus esset acceptus; nam quinquennis  
in puteum lapsus, ejusdem Deiparæ manu  
sublatus, incolumis evasit; tanto autem  
patiendi desiderio flagravit, ut novennis,  
spreto molliori lecto, super sarmentis cu-  
bare consueverit. Adolescens hospitio  
pauperum ægrotantium Metymnæ Cam-  
pi famulum sese addixit, quibus magno  
charitatis ardore, vilissima quæque com-  
plectens officia, præsto aderat, cujus exem-  
plo excitati cæteri eadem charitatis mu-  
nera ardentius obibant. Verum ad altio-

ra vocatus, Beatæ Mariæ Virginis de Monte Carmelo institutum amplexus est, ubi, sacerdos ex obedientia factus, severioris disciplinæ, & arctioris vitæ cupidissimus, primitivam Ordinis Regulam ex Superioris licentia ita professus est, ut ob jugem Dominicæ Passionis memoriam, bello in se, tamquam in infensissimum hostem indicto, vigilijs, jejunijs, ferreis flagellis, omnique pœnarum genere, brevi carnem cum vitijs, & concupiscentijs suis crucifixerit; dignus planè, qui à Sancta Teresia inter puriores, sanctiorésque animas Ecclesiam Dei id temporis illustrantes recenseretur.

℞. Honestum fecit. *parte 2. pag. 53.*

*Lectio v.*

**S**ingulari vitæ austeritate, & omnium virtutum præsidio munitus, præ assidua rerum divinarum contemplatione diuturnas, & mirabiles ecstases frequenter patiebatur: tantòque in Deum æstuabat amore, ut, cum divinus ignis sese intrò diutiùs continere non posset, foras erumpere, ejusque vultum irradiare visus sit. Proximorum saluti sumòpere intentus, tum in verbi Dei prædicatione, tum in Sacramentorum administratione fuit assiduus. Hinc tot meritis auctus, strictiorisque disciplinæ promovendæ ardore vehementer accensus Sanctæ Teresiæ comes divinitus datus est, ut, quam ipsa inter Sorores primævam Carmeli Ordinis observantiam

inſtauraverat, eandem & inter Fratres, Jo-  
anne adjutore, reſtitueret. Innumeros ita-  
que una cum Dei Famula in divino opere  
promovendo perpeſſus labores, Cœnobia,  
quæ eiufdem Sanctæ Virginis cura per to-  
tam Hiſpaniam erecta fuerant, nullis vitæ  
incommodis, & periculis territus, ſingula  
perluſtravit, in quibus, aliis que quamplu-  
rimis ejus opera erectis, reſtauratam obser-  
vantiam propagando, verbo, & exemplo  
firmavit: ut merito primus poſt Sanctam  
Tereſiam Carmelitarum Excalceatorum  
Ordinis Profeſſor, & Parens habeatur.

R. Amavit eum pag. 54.

Lectio vi.

**V**irginitatem perpetuè coluit, impu-  
dentès que mulieres ejus pudicitia  
inſidiari conantes, non modo repulit, ſed  
etiam Chriſto lucrificavit. In divinis expli-  
candis arcanis æque ac Sancta Tereſia, Apo-  
ſtolica Sedis judicio, divinitus inſtructus,  
libros de myſtica Theologia cœleſti ſapi-  
entiâ refertos conſcripſit. Semel interro-  
gatus à Chriſto, quid præmii pro tot labo-  
ribus poſceret, reſpondit: Domine, pati,  
& contemni pro te Imperio in Dæmo-  
nes, quos è corporibus sæpe fugabat, diſ-  
cretionem ſpirituum, prophetiæ dono, mi-  
raculorum gloria celebratiſſimus, ea ſem-  
per fuit humilitate, ut sæpius à Domino  
flagitaverit eo loco mori, ubi omnibus ef-  
ſet ignotus. Voti compos factus, Ubédæ

diro

diro morbo, & in crure quinque plagis san-  
nie manantibus, ad implendum patiendi  
desiderium, constantissimè toleratis, Ec-  
clesiæ Sacramentis piè, sanctèque susce-  
ptis, in Christi Crucifixi amplexu, quem  
semper in corde, atque orè habuerat, post  
illa verba: In manus tuas commendo spi-  
ritum meum, obdormivit in Domino, die,  
& hora à se prædictis, anno salutis millesi-  
mo quingentesimo nonagesimo primo,  
ætatis quadragesimo nono. Migrantem e-  
jus animam splendidissimus ignis globus  
exceptit: corpus verò suavissimum odo-  
rem spiravit, quod etiamnum incorruptū  
Segobiæ honorifice colitur. Eum plurimis  
ante, & post obitum fulgentem signis Be-  
nedictus decimus tertius Pontifex Maxi-  
mus in Sanctorum numerum retulit.

*R. Iste est. pag. 55.*


*In III. Noct. Homil. S. Gregorii Pap. in  
Evang. Sint lumbi. præcincti.*

*Nona Lectio S. Chrysogoni M.*

*Missæ Os justi I. com. S. Chrysog. M.*

---

*Pro festo S. Gertrudis V. nec dum Lectio-  
nes propriæ Romæ aquiri potuerunt. Festum  
hoc, uti ex Directorio Rom. de anno 1739.  
innotuit, celebrandum erit die 15. non 17.  
Nov. ut festum S. Gregor. Thaum. è sua die  
non moveatur. Quamprimum aquirentur le-  
ctiones, dabuntur typo, & comunica-  
buntur DD. Sacerdotibus.*



*Die xv. Novembris.*

I N F E S T O

S. GERTRUDIS

VIRGINIS, ET ABBATISSÆ  
Ordinis S. Benedicti. *Duplex.*

*Omnia de communi Virginum.*

O R A T I O.

**D**EUS, qui in corde beatæ Gertrudis Virginis jucundam tibi mansionem præparasti, ipsius meritis & intercessione cordis nostri maculas clementer absterge, & ejusdem tribue gaudere consortio. Per Dominum nostrum &c.

*In I. Noct. Lect. de Script. occur.*

*In II. Noct. Lectio iv.*

**G**ertrudis Islebij in Saxonia nobili genere nata quinquennis in monasterio Rodardenfi Ordinis S. Benedicti Virginitatem suam ac se ipsam JESU Christo obtulit. Quo ex tempore à mundanis rebus prorsus aliena virtutisque sedulo intentæ cœlestis vitæ genus instituit. Ad humaniorum litterarum notitiam rerum Divinarum cognitionem adjunxit. Quarum meditatione vehementius ad virtutem incensa brevi christianam perfectionem adepta est. De Christo, ejusque vitæ mysterijs sæpe numero pio cum animi sensu loquebatur:

X

unam.



unamque DEI gloriam cogitans ad illam  
sua vota omnia , & actiones referebat.  
Quamvis autem multis eximijs naturæ ac  
gratiæ donis à Deo aucta esset , ita tamen si-  
bi ipsi vilefcebatur , ut inter præcipua Divinæ  
bonitatis miracula hoc item memoraret ,  
quod se indignissimam misericorditer susti-  
neret.

*R.* Propter veritatem.

*Lectio v.*

**T**Ricesimum ætatis annum agens pri-  
mum Rodardensis monasterij , ubi re-  
ligiosam vitam est professa , deinde Elpedia-  
ni Præses electa , quadraginta annorum spa-  
tio eâ charitate , prudentiâ , & regularis di-  
sciplinæ studio munus obivit , ut cœnobium  
religiøsæ perfectionis domicilium videretur.  
Utrobique autem licet omnium esset Mater  
& Magistra , omnium tamen minima haberi  
volebat , ac demissione pari ministram se ex-  
hibebat. Quo liberiùs Deo vacaret , vigilijs,  
abstinentia , aliisque cruciatibus corpus af-  
flixit : Sempérque sui similis morum inno-  
centiam , mansuetudinem , ac patientiam  
prætulit singularem. Proximorum salutem  
omni ope studuit , piæque curæ copiosum  
fructum retulit. Divini amoris vi frequen-  
tes patiebatur extases , altissimæque con-  
templationis , & Divinæ unionis donum  
obtinet.

*R.* Dilexisti justitiam.

*Le-*

Lectio vi.

**U**T meritum acceptissimæ sibi Sponsæ Christus ostenderet, in corde Gertrudis jucundam sibi esse mansionem testatus est. Deiparam Virginem veluti Matrem & Curatricem à JESU acceptam pietate præcipua prosequabatur; ab eaque multa accepit beneficia. Erga Divinissimum Eucharistiæ Sacramentum & passionem Domini tanto amore cum grati animi sensu afficiebatur: ut interdum uberibus lachrymis perfunderetur. Justorum animas piacularibus flammis addictas quotidianis subsidijs & precibus juvabat. Multa ad fovendam pietatem scripsit. Divinarum etiam revelationum & prophetiæ dono claruit. Denique flagrantissimo Dei amore potius quam morbo languescens anno Domini millesimo, ducentesimo nonagesimo secundo vitâ decessit. Miraculis vivens & post mortem à Deo illustrata est.

℞. Afferentur regi.

*In III. Noct. Homilia S. Gregorij Pap. in Evangelium: Simile erit regnum cælorum decem Virginibus. &c.*

---

Urbis, & Orbis.

**S**Uprascriptas Orationem & Lectiones secundi Nocturni proprias S. Gertrudis Virginis Ordinis S. Benedicti ab Eminentiss.

mentissimo, & Reverendissimo, Domino Cardinali Sancti Clementis diligenter revisas, atque examinatas, Sac. Rituum Congregatio ad instantiam Serenissimi Regis Poloniae benigne approbavit, ut singulis Annis die 15. Novembris pro Festo ejusdem Sanctae assignata ab omnibus utriusque sexus Christi fidelibus tam Saecularibus, quam Regularibus, qui ad horas Canonicas tenentur in ejus Missa, & Officio sub Ritu duplici minori à Sanctissimo Domino nostro sub die 20. Junij 1738. Ecclesiae universali concessio, recitari debeant. Si Sanctissimo D. nostro visum fuerit. Die 9. Maij 1739.

Factaque deinde per me Secretarium de praedictis eidem SSmo D. N. relatione, Sanctitas Sua benignè annuit. Die 19. ejusdem Mensis, & Anni 1739.

C. Card. de Marinis Praef.

Loco ✠ Sigilli.

T. Patr. Hierosolym. Sec.

---

Labaci Typis Adami Friderici Reichhardt.

Die VII. Julii.

IN FESTO

S. PULCHERIAE

VIRGINIS IMPERATRICIS.

*Sub Ritu Duplici Majori. &c.*

*Officium & Missa de Comuni VV. primo loco, exceptis his, quæ hic habentur propria.*

*Oratio.*

**D**EUS, qui B. Pulcheriam Virginem tuam singulari Castitatis prærogativâ decorâsti, quique illi ad defendendam Ecclesiam Tuam summum Fidei amorem tribuere voluisti; concede, ut ejus intercessione Tibi puris mentibus inhærentes, ab omnium hostium insidiis misericorditer liberemur. Per Dominum &c.

*Lectiones primi Nocturni de Epist. S. Pauli. De vir-*

ginibus præceptum Domini non habeo &c.

IN II. NOCTURNO.

*Leç. IV.*

**Æ**Lia Pulcheria Augusta, Patre, Avo, Fratre, atque Viro Romanorum Imperatoribus maximè nobilis, profligatis, sua præsertim operâ, Hæreticorum erroribus, & Catholico Dogmate circa Incarnationis Mystrium, & Divinam Maternitatem constituto multò nobilior, ab ipsa pueritia tantâ sapientia divinitus prædita fuit, ut ii, quibus post Arcadii patris obitum

Imperii procuratio, dum Theodosius adolesceret, commissa fuerat, ejus arbitrato omnia facerent; essetque constans opinio, unius puellulæ virtute ac sapientiâ, quæ instare atque ingruere videbantur, pericula discussa, & felicitatem Imperio constitutam. Domi assidua disciplinæ exactrix, eam vivendi formam induxit, ut illa jam non Aula Imperatorum, sed Asceterium vulgò diceretur. Theodosium fratrem, Eudoxiam, quam illi matrimonio conjungendam curavit, Flacillam, Arcadium, Marianam sorores ita imbuebat bonis moribus, exercebatque ad virtutem, ut, quibus ætate non multum præstabat, eorum moderatrix, ac propemodum Mater esse videretur. Qua

institutione Sorores quantum profecerint, vel ex hoc uno intelligi potest, quòd Pulcheriam imitatæ, se, suamque Virginitatem DEO devoverint; utque Augusta Virgo ea, quæ decreverat, amplius confirmaret, omnesque voluntatis suæ testes haberet, ex auro & pretiosis lapidibus Sacram mensam in Ecclesia Constantinopolitana pro Virginitate sua, & Fratris Imperio dedicavit; & in fronte ipsius mensæ hæc eadem inscripsit.

ψ. Propter veritatem, & mansuetudinem, & justitiam: \* Et deducet te mirabiliter dextera tua.

ψ. Specie tua, & pulchritudine tua intende, prosperè procede, & regna. Et deducet.

*Lectio V.*

**P**Otior autem ejus in Theodosio instruendo eluxit cura; cumque, ubi opus esset, mira quadam dexteritate corrigebat; qui quidem talis est effectus, ut absolutissimum optimi, verèque Christiani Principis exemplar fuerit, dum Pulcheriæ consiliis est obsequutus. Post diurnam cum fratre concordiam, turbis, malevolorum fraude, atque obrectatione in aula excitatis, tempus nata, quo sibi jam uni, Deoque vacare posset, secessit in Hébdomum, locum Byzantio suburbanum, ibique vitam agens penè monasticam, aliquandiù se continuit; cùm verò felicitas Imperii una cum ea exularet, a fratre accersita, ubi deesse vidit, qui prælia Domini

pugnaret, Debboram imitata, fide, ac Religione armata processit, & missis in omnem partem Epistolis, hortando, monendo, minitendo, non pecuniæ, non laboribus parcens, digna effecta est, quam Patres Concilii Chalcedonensis unâ omnium voce, atque præconio Custodem Fidei, pacis Conciliatricem, Expultricem Hæreticorum, Piam, Orthodoxam, novam Helenam (sicut Marcianum tunc Imperatorem novum Constantinum) consalutarent; cuique S. Leo totius Romanæ Ecclesiæ nomine plurimum gratularetur, ejusque causâ exultare se diceret, ac digna DEO vota persolvere, quod de Nestoriana primùm impietate, mox de nefario Eutychetis errore perempto, duplicem illi

& palmam contulerat,  
& coronam.

R. Dilexisti justitiam,  
& odisti iniquitatem; \*  
Propterea unxit te  
DEUS, DEUS tuus oleo  
lætitiæ.

V. Propter verita-  
tem, & mansuetudi-  
nem, & justitiam. Pro-  
pterea.

*Lectio VI.*

**A**Tque hæ tantæ cu-  
rarum moles, quas  
præsertim in Ephesino  
ac Chalcedonensi Con-  
ciliis, Romanorum Pon-  
tificum auctoritate con-  
vocatis necessariò su-  
sceperat, nihilò illam  
ad cætera Christianæ  
pietatis officia obeun-  
da fecere segniorem.  
Assiduè cælestium re-  
rum contemplatione,  
Sacrorum Librorum  
Lectioe, corporis af-  
flictationibus sponte  
susceptis se exercebat;

Psalms, de nocte sur-  
gens, unà cum Regiæ  
familiæ Principibus de-  
cantabat; DEI, ac San-  
ctorum (quorum &  
colloquio non semel  
dignata est) cultrix exi-  
mia; quæ etiam sum-  
mopere semper con-  
tendit, ut erga eorum  
Reliquias cultus auge-  
retur. Deiparam in-  
primis coluit, cui hanc  
ipsam Deiparæ appel-  
lationem contra Ne-  
storianorum blasphemias  
asseruit; voluit  
namque summâ Sa-  
pientiæ suæ dispositio-  
ne Divina Providentia,  
ut per Virginem sum-  
ma Virginis dignitas  
inoffensa penitus ser-  
varetur; quam etiam  
est imitata servando  
perpetuam in ipso con-  
jugio Virginitatem;  
cujus denique cultui  
amplificando complura  
templa regali planè  
magnificentiam excita-  
vit,

vit, donariis auxit, redditibus locupletavit. In placanda Divina Justitia mira pietate enituit. Fuit erga pauperes misericordiâ planè singulari, quos & materna quadam charitate complexa est, quoad vixit, & moriens eorum, quæ assidua, effusissimâque liberalitas reliqua fecerat, scripsit hæredes. Quod cautum ab ipsa testamentô fuit, diligenter curavit Marcianus, quem pari Religionis studiô, rebûsque omnibus Imperiô dignissimum ipsa elexerat ad Imperium, sibi que hanc ipsam ob causam, salvâ, quam DEO voverat, Virginitate, conjugem delegerat. Obiit annô quadragesimo quinquagesimo tertio, magno omnium luctu, maximisque Sanctorum Patrum, cæterorum-

que ejus ævi Scriptorum laudibus celebrata.

✠. Afferentur Regi virgines post eam proximæ ejus: Afferentur tibi in lætitia, & exultatione.

✠. Specie tua & pulchritudine tua intende, prosperè procede, & regna. Afferentur, Gloria Patri, Afferentur.

### IN III. NOCTURNO.

Lectio S. Evangelii secundum Joannem.  
C. 17. 3.

**I**N illo tempore dixit JESUS: Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum DEUM verum, & quem misisti JESUM Christum. Et reliqua.

Homil. S. Cyrilli Alexandrini.



*De Fide ad Pulche-  
riam, & Sorores Re-  
ginas.*

*Lectio VII.*

**S**ANÈ vos sacras, ca-  
stiffimâsque Christi  
omnium noftrûm Sal-  
vatoris fponfas, reli-  
giofiffimæ ac DEO di-  
lectiffimæ Imperatrices,  
orbis terrarum orna-  
mentum, fanctiffima-  
rumque Ecclefiarum de-  
cus optimo jure quis-  
quis appellaverit, in  
quibus nimirum omne  
virtutum genus, omnis-  
que ornatus Divinæ  
Majeftatis oculis gra-  
tus, acceptusque mi-  
rificè fplendet. Ne-  
que his opibus con-  
tentæ, omnem quoque  
curam, omnèque ftu-  
dium adhibetis, quo  
fide recta, nullamque  
in partem vacillante,  
excellatis. Neque Chri-  
fti Regnum capeffere,

& ea, quæ illi grata  
funt, facere, & sentire  
omittitis, partim qui-  
dem præclaris actioni-  
bus, partim rurfum cum  
veftras, tum Princi-  
pum quoque veftrorum  
aulas Virginitatis glo-  
riâ condecorantes; partim denique fump-  
tuofiffima Templo Chri-  
fto Domino excitan-  
tes; nam & hoc quo-  
que pietatis ftudium in-  
ter cætera ille Sanctis  
veftris animis imperti-  
tus eft.

**R.** Hæc eft virgo fa-  
piens, quam Dominus  
vigilantem invenit, quæ  
acceptis lampadibus,  
fumpfit fecum oleum: \*  
Et veniente Domino  
introivit cum eo ad  
nuptias.

**V.** Media nocte cla-  
mor factus eft, ecce  
fponfus venit, exite  
obviam ei. Et.

*Lectio VIII.*

**I**gitur ex facris literis vobis verè sanctis Christi Sponsis (quam ad quodvis opus bonum abundè instructæ videamini) aliquid depromam. Hinc etenim & Emmanuelem verum, ac naturalem DEUM, & Virginem Matrem, quæ eum peperit, veram per ipsum Deiparam esse planum fiet. Ait Christus: hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum, DEUM verum, & quem misisti JESUM Christum. Si cum solius, verique DEI cognitione, JESU Christi cognitionem necessariam, consociatamque esse oportet, & hoc ipsum æternam vitam conciliat; cui obscurum esse potest, Christum verum esse DEUM? Verbum sanè caro factum est, sed mansit interim Verbum.

R. Media nocte clamor factus est: \* Ecce sponsus venit, exite obviam ei.

ψ. Prudentes virgines aptate vestras lampades. Ecce. Gloria Patri. Ecce.

*Lectio IX.*

**E**T ego claritatem, quam dedisti mihi, dedi eis; ut sint unum, sicut & nos unum sumus. Qualem itaque gloriam Filius a Patre accepisse se narrat, quam nobis deinde communem fecerit? Sane ipse ab hac quæstione nos liberat, dum ait: ut unum sint, sicut & nos unum sumus. Nam etsi DEI Patris Verbum secundum propriam hypostasim alius a Patre esse dignoscatur, naturali tamen identitate unum planè & idem est cum illo. At

At quo pacto Verbum illud, unum quoque nobiscum factum est? Ad eundem omnino modum, puta secundum essentialem, & naturalem identitatem. At cum divina natura tantò a Creatura distet intervallo, ut secundum essentialiam cum ea coire nequaquam valeat; ecquò, inquis,

modò secundum naturam unum ille factus est nobiscum, qui omnem omnino creaturam excellit? Verbum factum est homo; ut quemadmodum in Deitate unum & idem est cum Patre; ita secundum naturæ humanæ habitudinem fit unum quoque nobiscum  
Te DEUM laudamus,

## Ex audientia Sanctissimi

Die 31. Januarii 1752.

*Sanctissimus Dominus Noster approbavit introscriptum Officium sub ritu duplici cum Missa pro Canonicis Regularibus in Lusitania, & pro PP. Societatis Jesu Panormi, & in Tyrocinio Romano degentibus: ac concessit, ut Missa possit celebrari etiam ab exteris Sacerdotibus in Ecclesiis prædictorum Canonicorum Regularium, & PP. Societatis Jesu.*

D. F. Card. Tamburicus.

*Præterea per litteras Apostolicas in forma Brevis 11. Februarii 1752. emanatas præinsertum Officium & Missam extendit, atque concedit, ut ab omnibus ejusdem Societatis alumnis, ubique terrarum degentibus, nec non Collegialibus & Seminaristis, in eorundem Collegiis, sive Seminariis, sive domibus conviventibus, qui ad horas Canonicas recitandas tenentur, Officium & Missa ab iis omnibus Sacerdotibus in dictæ Societatis Jesu Ecclesiis, Oratoriisque celebrantibus, sub iisdem modò & formâ, quot annis die septima mensis Julii recitari, & celebrari possit.*

Cajetanus Amatus.

O F F I C I U M  
QUINQUE VULNERUM  
D. N. JESU CHRISTI

Feria VI. post Cineres.

*Pro tota Societate JESU, & pro omnibus  
Confratribus etiam exteris Congregationum  
bonæ Mortis ubique locorum degentibus, ex  
Decreto SS. D. N. BENEDICTI PP. XIV.  
Die 25. Aprilis 1753. Duplex Majus.*

AD VESPERAS.

*Antiph.* Vere languores  
nostros ipse tulit, & dolo-  
res nostros ipse portavit.

*Psalms 115.*

**C**Redidi, propter  
quod locutus sum:  
\* Ego autem humiliatus  
sum nimis.

Ego dixi in excessu  
meo: \* Omnis homo  
mendax.

Quid retribuam Domi-  
no, \* pro omnibus, quæ  
retribuit mihi?

Calicem salutaris acci-  
piam: \* Et nomen Do-  
mini invocabo.

Vota mea Domino  
reddam coram omni po-  
pulo ejus: \* Pretiosa in

conspectu Domini mors  
Sanctorum ejus.

O Domine, quia ego  
servus tuus: \* Ego ser-  
vus tuus, & filius ancillæ  
tuæ.

Dirupisti vincula mea:  
\* Tibi sacrificabo hostiam  
laudis, & nomen Domini  
invocabo.

Vota mea Domino red-  
dam in conspectu omnis  
populi ejus: \* In atris  
domus Domini, in medio  
tui Jerusalem.

*Antiph.* Vere languores  
nostros ipse tulit, & dolo-  
res nostros ipse portavit.

*Antiph.* Ipse autem vul-  
neratus est propter iniqui-  
tates nostras, attritus est  
propter scelera nostra.

**A**D Dominum cum tribularer clamavi : \* Et exaudivit me.

Domine libera animam meam a labiis iniquis, \* Et a lingua dolosa.

Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi \* ad linguam dolosam?

Sagittæ potentis acutæ, \* cum carbonibus desolatoriis.

Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est : habitavi cum habitantibus Cedar : \* Multum incola fuit anima mea.

Cum his qui oderunt pacem eram pacificus : \* Cum loquebar illis, impugnabant me gratis.

*Antiph.* Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra.

*Antiph.* Alligavit Dominus plagam Populi sui, & percussuram ejus sanavit.

**E**Ripe me Domine ab homine malo : \* A viro iniquo eripe me.

Qui cogitaverunt iniquitates in corde : \* Totodie constituebant prælia.

Acuerunt linguas suas sicut serpentis : \* Venenum aspidum sub labiis eorum.

Custodi me Domine de manu peccatoris : \* Et ab hominibus iniquis eripe me.

Qui cogitaverunt supplantare gressus meos : \* Absconderunt superbi laqueum mihi :

Et fures extenderunt in laqueum : \* Juxta iter scandalum posuerunt mihi.

Dixi Domino : Deus meus es tu : \* Exaudi Domine vocem deprecationis meæ.

Domine Domine virtus salutis meæ : \* Obumbrasti super caput meum in die belli :

Ne tradas me Domine a desiderio meo peccatori : \* Cogitaverunt contra me, ne derelinquas me, ne forte exalitentur.

Caput circuitus eorum : \* Labor labiorum ipsorum operiet eos.

Cadent super eos carbones, in ignem dejicies eos: \* In miseriis non subsistent.

Vir linguosus non dirigetur in terra: \* Virum injustum mala capient in interitu.

Cognovi quia faciet Dominus judicium inopis: \* Et vindictam pauperum.

Verumtamen iusti confitebuntur nomini tuo: \* Et habitabunt recti cum vultu tuo.

*Antiph.* Alligavit Dominus plagam populi sui, & percussuram ejus sanavit.

*Antiph.* Omnis, qui transibit, stupebit super omnes plagas ejus.

*Psalms 140.*

**D**omine clamavi ad te, exaudi me: \* Intende voci meae, cum clamavero ad te.

Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo: \* Elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum.

Pone Domine custodiam ori meo: \* Et ostium circumstantiae labiis meis.

Non declines cor meum in verba malitiae, \* Ad excusandas excusationes in peccatis.

Cum hominibus operantibus iniquitatem: \* Et non communicabo cum electis eorum.

Corripiet me justus in misericordia, & increpabit me: \* Oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.

Quoniam adhuc & oratio mea in beneplacitis eorum: \* Absorpti sunt juncti petrae iudices eorum.

Audient verba mea, quoniam potuerunt: \* Sicut crassitudo terrae erupta est super terram.

Dissipata sunt ossa nostra secus infernum: \* Quia ad te Domine Domine oculi mei, in te speravi, non auferas animam meam.

Custodi me a laqueo, quem statuerunt mihi: \* Et a scandalis operantium iniquitatem.

Cadent in retiaculo ejus peccatores \* singulariter sum ego donec transeam.

*Antiph.* Omnis, qui transibit, stubebit super omnes plagas ejus.

*Antiph.* O vos omnes, qui transitis per viam, attendite, & videte, si est dolor, sicut dolor meus.

*Psalms 141.*

**V**oce mea ad Dominum clamavi: \*  
Voce mea ad Dominum deprecatus sum:

Effundo in conspectu ejus orationem meam, \*  
& tribulationem meam ante ipsum pronuncio.

In deficiendo ex me spiritum meum, \* & tu cognovisti semitas meas.

In via hac, qua ambulabam, \* absconderunt laqueum mihi.

Considerabam ad dexteram, & videbam: \* Et non erat, qui cognosceret me.

Periit fuga a me, \* & non est, qui requirat animam meam.

Clamavi ad te Domine, \* dixi: Tu es spes mea, portio mea in terra viventium.

Intende ad deprecationem meam: \* Quia humiliatus sum nimis.

Libera me a persecutoribus me: \* Quia confortati sunt super me.

Educ de custodia animam meam ad confitendum nomini tuo: \* Me expectant justi, donec retribuas mihi.

*Antiph.* O vos omnes, qui transitis per viam, attendite, & videte, si est dolor, sicut dolor meus.

*Capitulum. Isaia 53.*

**C**hristus vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra, cujus livore sanati sumus.

R. DEO gratias.

*Hymnus.*

**P**ange lingua gloriosi  
Lauream certaminis,  
Et super Crucis trophæo

Dic triumphum nobilem:

Qualiter Redemptor  
Orbis

Immolatus vicerit.

De parentis protoplasti  
Fraude Factor condolens,

Quando pomi noxialis  
In necem morsu ruit:

Ipse

Ipsè lignum tunc nota-  
vit,  
Damna ligni ut solve-  
ret.

Hoc opus nostræ salutis  
Ordo depoposcerat:  
Multiformis proditoris  
Ars ut artem falleret,  
Et medelam ferret. —  
inde,

Hostis unde læferat.

Quando venit ergo sacri  
Plenitudo temporis,  
Missus est ab arce Patris  
Natus, Orbis Conditor:  
Atque Ventre Virginali  
Carne amictus prodiit.

Vagit infans inter arcta  
Conditus præsepia:  
Membra pannis invo-  
luta

Virgo Mater alligat:  
Et DEI manus, pedes-  
que

Stricta cingit fascia.

Sempiterna sit Beatæ  
Trinitati gloria,  
Æqua Patri, Filioque,  
Par decus Paraclito:  
Unius, Trinique nomen  
Laudet Universitas.

Amen.

Ÿ. Videbunt, in quem  
transfixerunt.

R. Et dolebunt super  
eum, ut in morte  
Primogeniti.

*Ad Magnificat.*

*Antiph.* Dum in Cruce  
penderet Unigenitus DEI  
Filius, & ab omnibus  
subfannaretur, Mater ejus  
Virgo MARIA, ipsum  
verum DEUM, & ho-  
minem condolens vene-  
rabatur.

*Oratio.*

DEUS, qui unigeniti  
Filii tui passione,  
& per quinque vulnera  
ejus sanguinis effusione,  
humanam naturam pec-  
cato perditam reparasti:  
tribue nobis, quæsumus,  
ut qui ab eo suscepta vul-  
nera veneramur in Ter-  
ris, ejusdem pretiosissimi  
Sanguinis fructum conse-  
qui mereamur in Cœlis.  
Per eundem Dominum,  
&c.

*Deinde fit Commemoratio  
de Feria per Antiph.*

Domine non sum di-  
gnus, ut intres sub tectum  
meum: sed tantum dic  
verbo, & sanabitur puer  
meus:

Ÿ. Dirigatur Domine  
Oratio mea.

R. Sicut incensum in  
conspectu tuo.



*Oratio.*

**P**arce Domine, parce populo tuo : ut dignis flagellationibus castigatus, in tua miseratione respiret. Per Dominum nostrum, &c.

*Ad Matut. Invitat.*

Christum in Cruce confixum, quinque plagis vulneratum. \* Venite, adoremus.

*Psalms.* Venite, exultemus, &c.

*Hymnus.*

Pange lingua gloriosi lauream certaminis, &c. *ut in Vesperis.*

*In I. Nocturno.*

*Antiph.* Quis est, qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra?

*Psalms 10.*

**I**N Domino confido : quomodo dicitis animæ meæ : \* Transmigras in montem sicut passer?

Quoniam ecce peccatores intenderunt arcum, paraverunt sagittas suas in pharetra, \* ut sagittent in obscuro rectos corde.

Quoniam quæ perfectisti, destruxerunt : \* justus autem quid fecit?

Dominus in templo sancto suo, \* Dominus in cælo sedes ejus.

Oculi ejus in pauperem respiciunt : \* Palpebræ ejus interrogant filios hominum.

Dominus interrogat justum & impium : \* Qui autem diligit iniquitatem, odit animam suam.

Pluet super peccatores laqueos : \* Ignis, & sulphur, & spiritus procellarum pars calicis eorum.

Quoniam justus Dominus, & justitias dilexit : \* Æquitatem vidit vultus ejus.

*Antiph.* Quis est, qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra?

*Antiph.* Quare rubrum est indumentum tuum, & vestimenta tua sicut calcantium in torculari?

*Psalms 14.*

**D**omine, quis habitabit in tabernaculo tuo? \* Aut quis requiescet in monte sancto tuo?

Qui ingreditur sine macula, \* & operatur justitiam :

Qui

Qui loquitur veritatem in corde suo, \* qui non egit dolum in lingua sua:

Nec fecit proximo suo malum, \* & opprobrium non accepit adversus proximos suos.

Ad nihilum deductus est in conspectu ejus malignus: \* Timentes autem Dominum glorificat:

Qui jurat proximo suo, & non decipit, \* qui pecuniam suam non dedit ad usuram, & munera super innocentem non accepit:

Qui facit hæc, \* non movebitur in æternum.

*Antiph.* Quare rubrum est indumentum tuum, & vestimenta tua sicut calcantium in torculari?

*Antiph.* Torcular calcavi solus, & de Gentibus non fuit vir mecum.

*Psalms 23.*

**D**omini est terra, & plenitudo ejus: \* orbis terrarum, & universi, qui habitant in eo.

Quia ipse super maria fundavit eum: \* Et super flumina præparavit eum.

Quis ascendet in montem Domini? \* Aut quis stabit in loco sancto eius?

Innocens manibus & mundo corde, \* qui non accepit in vano animam suam, nec juravit in dolo proximo suo.

Hic accipiet benedictionem a Domino: \* Et misericordiam a DEO salutari suo.

Hæc est generatio quærentium eum, \* quærentium faciem DEI Jacob.

Attollite portas principes vestras, & elevamini portæ æternales: \* Et introibit Rex gloriæ.

Quis est iste Rex gloriæ? \* Dominus fortis, & potens: Dominus potens in prælio.

Attollite portas principes vestras, & elevamini portæ æternales: \* Et introibit Rex gloriæ.

Quis est iste Rex gloriæ? \* Dominus virtutum ipse est Rex gloriæ.

*Anriph.* Torcular calcavi solus, & de Genti-  
bus non fuit vir me-  
cum.

Ÿ. Foderunt manus  
meas, & pedes  
meos.

℞. Dinumeraverunt  
omnia ossa mea.

De Isaia Propheta.

*Leclio I. Cap. 53.*

**Q**uis credidit auditui  
nostro? & brachium  
Domini cui revelatum  
est? & ascendit sicut vir-  
gultum coram eo, & si-  
cut radix de terra sitienti.  
Non est species ei, neque  
decor, & vidimus eum,  
& non erat aspectus, &  
desideravimus eum: de-  
spectum, & novissimum  
virorum, virum dolo-  
rum, & scientem infir-  
mitatem, & quasi ab-  
sconditus vultus ejus, &  
despectus: unde nec re-  
putavimus eum. Vere  
languores nostros ipse  
tulit, & dolores nostros  
ipse portavit: Et nos  
putavimus eum quasi le-  
prosum, & percussam a  
DEO, & humiliatum.  
Ipse autem vulneratus

est propter iniquitates  
nostras, attritus est pro-  
pter scelera nostra: di-  
sciplina pacis nostræ su-  
per eum, & livore ejus  
sanati sumus. Tu autem  
Domine, &c.

℞. Gratificavit nos  
DEUS in dilecto Filio  
suo: \* In quo habemus  
redemptionem per san-  
guinem ejus in remissio-  
nem peccatorum.

Ÿ. Ecce venit pleni-  
tudo temporis, in quo  
misit DEUS Filium  
suum in terras. In quo  
habemus.

*Leclio II.*

**O**Mnes nos quasi oves  
erravimus, unus-  
quisque in viam suam  
declinavit, & posuit.  
Dominus in eo iniquita-  
tem omnium nostrum.  
Oblatus est, quia ipse  
voluit, & non aperuit  
os suum: sicut ovis ad  
occisionem ducetur, &  
quasi agnus coram ton-  
dente se obmutescet, &  
non aperiet os suum.  
De angustia, & iudicio  
sublatus est: generatio-  
nem ejus quis enarrabit?

Quia

Quia abscissus est de terra viventium: propter scelus populi mei percussus eum. Et dabit impios pro sepultura, & divites pro morte sua: eo quod iniquitatem non fecerit, neque dolus fuerit in ore ejus. Et Dominus voluit conterere eum in inimitate. Tu autem, &c.

R. Nos, qui aliquando cramus longe, facti sumus prope per Sanguinem JESU Christi. \* Ipse est pax nostra, qui fecit utraque unum.

V. A Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris. Ipse est pax nostra.

*Lectio III. Cap. 63.*

Quis est, qui venit de Edom, tinctis vestibibus de Bosra? Iste formosus in stola sua, gradens in multitudine fortitudinis suæ. Ego, qui loquor justitiam, & propugnator sum ad salvandum. Quare ergo rubrum est indumentum tuum, & vestimenta tua sicut calcantium in tor-

culari? Torcular calcavi solus, & de Gentibus non est vir mecum: calcavi in furore meo, & conculcavi eos in ira mea, & aspersus est sanguis eorum super vestimenta mea, & omnia indumenta mea inquinavi: dies enim ultionis in corde meo, annus Redemptionis meæ venit, circumspexi, & non erat auxiliator; quæsi, & non fuit, qui adjuvaret. Tu autem, &c.

R. In primogenito ex mortuis complacuit omnem plenitudinem Divinitatis inhabitare, & per eum reconciliari omnia in ipsum. \* Pacificans per Sanguinem Crucis ejus, sive quæ in Cælis, sive quæ in terris sunt.

V. Ipse est caput corporis Ecclesiæ, in omnibus primatum tenens. Pacificans per Sanguinem Crucis ejus. Gloria Patri. Pacificans.

*In II. Nocturno.*

*Antiphona.* Foderunt manus meas, & pedes meos;

meos ; dinumeraverunt  
omnia ossa mea.

*Psalmus 21.*

**D**EUS , Deus meus ,  
respice in me : quare  
me dereliquisti ? \* Lon-  
ge a salute mea verba de-  
lictorum meorum.

Deus meus , clamabo  
per diem , & non exau-  
dies : \* Et nocte , & non  
ad insipientiam mihi.

Tu autem in sancto  
habitas , \* Laus Israel.

In te speraverunt pa-  
tres nostri : \* Sperave-  
runt , & liberasti eos.

Ad te clamaverunt , &  
salvi facti sunt : \* In te  
speraverunt , & non sunt  
confusi.

Ego autem sum ver-  
mis , & non homo : \* Op-  
probrium hominum , &  
abjectio plebis.

Omnes videntes me ,  
deriserunt me : \* Locuti  
sunt labiis , & moverunt  
caput.

Speravit in Domino ,  
eripiat eum : \* Salvum  
faciat eum , quoniam vult  
eum.

Quoniam tu es , qui  
extraxisti me de ventre :  
\* Spes mea ab uberibus

matris meae. In te pro-  
jectus sum ex utero :

De ventre matris meae  
DEUS meus es tu , \* ne  
discesseris a me :

Quoniam tribulatio  
proxima est : \* Quoniam  
non est qui adjuvet.

Circumdederunt me  
vituli multi : \* Tauri pin-  
gues obsederunt me.

Aperuerunt super me  
os suum , \* sicut leo ra-  
piens , & rugiens.

Sicut aqua effusus sum :  
\* Et dispersa sunt omnia  
ossa mea.

Factum est cor meum  
tamquam cera liquecens  
\* in medio ventris mei.

Aruit tamquam testa  
virtus mea , & lingua mea  
adhæsit faucibus meis : \*  
& in pulverem mortis  
deduxisti me.

Quoniam circumdede-  
runt me canes multi : \*  
Concilium malignantium  
obsedit me.

Foderunt manus meas ,  
& pedes meos : \* Dinu-  
meraverunt omnia ossa  
mea.

Ipsi vero considera-  
verunt , & inspexerunt  
me : \* Diviserunt sibi  
vestimenta mea , & super

vestem meam miserunt  
fortem.

Tu autem, Domine,  
ne elongaveris auxilium  
tuam a me: \* Ad defen-  
sionem meam conspice.

Erue a framea, DEUS,  
animam meam: \* Et de  
manu canis unicum  
meam:

Salva me ex ore leo-  
nis: \* Et a cornibus uni-  
cornium humilitatem  
meam.

Narrabo nomen tuum  
fratribus meis: \* In me-  
dio Ecclesiæ laudabo te.

Qui timetis Domi-  
num, laudate eum: \* Uni-  
versum semen Jacob glo-  
rificate eum:

Timeat eum omne se-  
men Israel: \* Quoniam  
non sprexit, neque de-  
spexit deprecationem  
pauperis:

Nec avertit faciem  
suam a me: \* Et cum cla-  
marem ad eum exaudi-  
vit me.

Apud te laus mea in  
Ecclesia magna: \* Vota  
mea reddam in conspe-  
ctu timentium eum.

Edent pauperes, &  
saturabuntur: & lauda-

bunt Dominum, qui re-  
quirunt eum: \* Vivent  
corda eorum in sæculum  
sæculi.

Reminiscantur, & con-  
vertentur ad Dominum  
\* universi fines terræ:

Et adorabunt in con-  
spectu ejus \* universæ fa-  
milie Gentium.

Quoniam Domini est  
regnum: \* Et ipse domi-  
nabitur Gentium.

Manducaverunt, &  
adoraverunt omnes pin-  
gues terræ: \* In con-  
spectu ejus cadent omnes,  
qui descendunt in ter-  
ram.

Et anima mea illi vi-  
vet: \* Et semen meum  
serviet ipsi.

Annunciabitur Domi-  
no generatio ventura: \*  
Et annuntiabunt Cæli  
justitiam ejus populo, qui  
nascetur, quem fecit Do-  
minus.

*Antiph.* Foderunt ma-  
nus meas, & pedes meos;  
dinumeraverunt omnia  
ossa mea.

*Antiph.* A planta pe-  
dis usque ad verticem non  
est in eo sanitas.

**J**ubilate DEO omnis terra, psalmum dicite nomini ejus: \* Date gloriam laudi ejus.

Dicite DEO, quam terribilia sunt opera tua, Domine! \* In multitudine virtutis tuæ mentientur tibi inimici tui.

Omnis terra adoret te, & psallat tibi, \* psalmum dicat nomini tuo.

Venite, & videte opera DEI: \* Terribilis in consiliis super filios hominum.

Qui convertit mare in aridam, in flumine pertransibunt pede: \* Ibi lætabimur in ipso.

Qui dominatur in virtute sua in æternum, oculi ejus super Gentes respiciunt: \* Qui exasperant, non exalcentur in semet-ipsis.

Benedicite Gentes DEUM nostrum, \* & auditam facite vocem laudis ejus.

Qui posuit animam meam ad vitam, \* & non dedit in commotionem pedes meos.

Quoniam probasti nos, DEUS: \* Igne nos exa-

minasti, sicut examinatur argentum.

Induxisti nos in laqueum, posuisti tribulationes in dorso nostro: \* Imposuisti homines super capita nostra.

Transivimus per ignem, & aquam: \* Et eduxisti nos in refrigerium.

Introibo in domum tuam in holocaustis: \* reddam tibi vota mea, quæ distinxerunt labia mea.

Et locutum est os meum, \* in tribulatione mea.

Holocausta medullata offeram tibi cum incenso arietum: \* Offeram tibi boves cum hircis.

Venite, audite, & narabo, omnes, qui timetis DEUM, \* quanta fecit animæ meæ.

Ad ipsum ore meo clamavi, \* exaltavi sub lingua mea.

Iniquitatem si aspexi in corde meo, \* non exaudiet Dominus.

Propterea exaudivit DEUS, \* & attendit voci deprecationis meæ.

Benedictus DEUS, \* qui non amovit orationem meam, & misericordiam suam a me.

*Antiph.* A planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas.

*Antiph.* Vulnus, & livor, & plaga tumens non est circumligata, nec curata medicamine, neque fota oleo.

*Psalms 75.*

**N**otus in Judæa, DEUS: \* In Israel magnum nomen ejus.

Et factus est in pace locus ejus: \* Et habitatio ejus in Sion.

Ibi confregit potentias arcuum, \* scutum, gladium, & bellum.

Illuminans tu mirabiliter a montibus æternis: \* Turbati sunt omnes insipientes corde.

Dormierunt somnum suum: \* Et nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis.

Ab increpatione tua, DEUS Jacob, \* dormitaverunt, qui ascenderunt equos.

Tu terribilis es, & quis resistet tibi? \* Ex tunc ira tua.

De Cælo auditum fecisti judicium: \* Terra tremuit, & quievit.

Cum exurgeret in judicium DEUS, \* ut salvos faceret omnes mansuetos terræ.

Quoniam cogitatio hominis confitebitur tibi: \* Et reliquæ cogitationis diem festum agent tibi.

Vovete, & reddite Domino DEO vestro: \* Omnes, qui in circuitu ejus affertis munera.

Terribili, & ei, qui aufert spiritum principum, terribili apud reges terræ.

*Antiph.* Vulnus, & livor, & plaga tumens non est circumligata, nec curata medicamine, neque fota oleo.

ÿ. Vere languores nostros ipse tulit.

R. Et dolores nostros ipse portavit.

De Sermone Sancti Bernardi Abb.

Lib. de Pass. Domini cap. 41.

*Lectio IV.*

**C**aptus est JESUS post plurimas illusiones tam Judæorum, quam



quam Gentium : post sanguinis plures effusiones , clavis in manibus simul , & pedibus perforatur : & configitur ligno Crucis Salvator noster mitissimus JESUS. Intuere , & respice rosam Passionis sanguineæ , quomodo rubet in indicium ardentissimæ charitatis. Contendunt passio , & charitas : ista , ut plus ardeat ; illa , ut plus rubeat. Tu autem , &c.

R. Per mortem destruxit JESUS eum , qui mortis habebat imperium. \* Ut liberaret eos , qui timore mortis obnoxii erant servituti.

Y. Unde debuit per omnia fratribus assimilari , ut misericors fieret. Ut liberaret.

### *Lectio V.*

**V**ide , quomodo hoc flore rosæ floruerit , optima vitis nostra rubicundus JESUS. Vide totum corpus , sicubi rosæ sanguineæ florem non invenias. Inspice manum unam , & alte-

ram , si florem rosæ non invenias in utraque. Inspice pedem unum , & alterum , numquid non rosei ? Inspice lateris aperturam , quia nec illa caret rosâ , quamvis ipsa subrubea sit , propter mixturam aquæ ; quia , sicut narrat Evangelista , cum unus militum lancea latus ejus perforasset , exivit sanguis , & aqua. Tu autem , &c.

R. Per hominem mors , & per hominem resurrectio mortuorum. \* Et sicut in Adam omnes peccaverunt , ita in Christo omnes vivificabuntur.

Y. Novissime autem inimica destruetur mors. Et sicut.

**Ex eodem D. Bernardo.**

*Sermone de Passione Domini.*

### *Lectio VI.*

**R**espice Domine. Sancte Pater de Sanctuario tuo , & de excelsis Cælorum habitaculo : & intuere hanc Sacrosanctam Hostiam , quam tibi offert magnus Pon-

Pontifex noster, Sanctus  
Puer tuus Dominus JE-  
SUS, pro peccatis fra-  
trum suorum, & esto  
placabilis super multitu-  
dinem malitiæ nostræ.  
Cognosce Pater tunicam  
filii tui Joseph. Heu!  
fera pessima devoravit  
eum, & conculcavit in  
furore suo vestimentum  
ejus: Ecce quinque scis-  
suras lamentabiles in eo  
reliquit. Tu autem, &c.

R. Videmus JESUM  
propter passionem mortis  
gloria, & honore coro-  
natum. \* Ut pro omni-  
bus gustaret mortem.

V. Decebat eum, qui  
multos filios in gloriam  
adduxerat, auctorem sa-  
lutis eorum per passio-  
nem consummari. \* Ut  
pro omnibus. Gloria Pa-  
tri. Ut pro omnibus.

*In III. Nocturno.*

*Antiph.* Quid sunt pla-  
gæ istæ in medio ma-  
nuum tuarum?

*Psalmus 95.*

**C**Antate Domino  
canticum novum: \*  
cantate Domino omnis  
terra.

Can-

Cantate Domino, &  
benedicite nomini ejus:  
\* Annunciate de die in  
diem salutare ejus.

Annunciate inter Gen-  
tes gloriam ejus, \* in  
omnibus populis mirabi-  
lia ejus.

Quoniam magnus Do-  
minus, & laudabilis ni-  
mis: \* Terribilis est su-  
per omnes deos.

Quoniam omnes dii  
Gentium dæmonia: \*  
Dominus autem Cælos  
fecit.

Confessio, & pulchri-  
tudo in conspectu ejus:  
\* Sanctimonia, & magni-  
ficentia in sanctificatione  
ejus.

Afferte Domino patriæ  
Gentium, afferte Domino  
gloriam, & honorem: \*  
Afferte Domino gloriam  
nomini ejus.

Tollite hostias, & in-  
troite in atria ejus: \* Ad-  
orate Dominum in atrio  
sancto ejus.

Commoveatur a facie  
ejus universa terra: \* Di-  
cite in Gentibus, quia  
Dominus regnavit.

Etenim correxit orbem  
terræ, qui non commo-

ve-

vebitur : \* Judicabit populos in æquitate.

Lætentur Cæli , & exultet terra , commoveatur mare , & plenitudo ejus : \* Gaudebunt campi , & omnia , quæ in eis sunt.

Tunc exultabunt omnia ligna silvarum a facie Domini , quia venit : \* Quoniam venit judicare terram.

Judicabit orbem terræ in æquitate , \* & populos in veritate sua.

*Antiph.* Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum ?

*Antiph.* His plagatus sum in domo eorum , qui me diligebant.

*Psalms 96.*

**D**ominus regnavit , exultet terra : \* Lætentur insulæ multæ.

Nubes , & caligo in circuitu ejus : \* Justitia , & judicium correctio sedis ejus.

Ignis ante ipsum præcedet , \* & inflammabit in circuitu inimicos ejus.

Illuxerunt fulgura ejus orbi terræ : \* Vidit , & commota est terra.

Montes sicut cera fluxerunt a facie Domini : \* A facie Domini omnis terra.

Annunciaverunt Cæli justitiam ejus : \* Et viderunt omnes populi gloriam ejus.

Confundantur omnes , qui adorant sculptilia : \* Et qui gloriantur in simulacris suis.

Adorate eum omnes Angeli ejus : \* Audivit , & lætata est Sion.

Et exultaverunt filiæ Judæ , \* propter judicia tua Domine :

Quoniam tu Dominus altissimus super omnem terram : \* Nimis exaltatus es super omnes deos.

Qui diligitis Dominum , odite malum : \* Custodit Dominus animas Sanctorum suorum , de manu peccatoris liberabit eos.

Lux orta est justo , \* & rectis corde lætitia.

Lætamini justi in Domino : \* Et confitemini memoriæ sanctificationis ejus.

*Antiph.* His plagatus sum in domo eorum, qui me diligebant.

*Antiph.* In amaritudine sermo meus est, & manus plagæ meæ aggravata est super gemitum meum.

*Psalms 97.*

**C**Antate Domino canticum novum : \* Quia mirabilia fecit.

Salvavit sibi dextera ejus : \* Et brachium sanctum ejus.

Notum fecit Dominus salutare suum : \* In conspectu Gentium revelavit justitiam suam.

Recordatus est misericordiæ suæ, \* & veritatis suæ domui Israel.

Viderunt omnes termini terræ \* salutare DEI nostri.

Jubilate DEO omnis terra : \* Cantate, & exultate, & psallite.

Psallite Domino in cithara, in cithara & voce psalmi : \* In tubis ductilibus, & voce tubæ cornæ.

Jubilate in conspectu regis Domini : \* Moveatur mare, & pleitudo ejus : orbis terrarum, & qui habitant in eo.

Flumina plaudent manu, simul montes exultabunt a conspectu Domini : \* Quoniam venit judicare terram.

Judicabit orbem terrarum in justitia, \* & populos in æquitate.

*Antiph.* In amaritudine sermo meus est, & manus plagæ meæ aggravata est super gemitum meum.

*V.* Ipse vulneratus est propter iniquitates nostras.

*R.* Attritus est propter scelera nostra.

**Lectio Sancti Evangelii secundum Joannem.**

*Lectio VII. Cap. 19.*

**I**N illo tempore sciens JESUS, quia omnia jam consummata sunt, ut consummaretur Scriptura, dixit : Sitio. Et reliqua.

**Homilia Sancti Cyrilli Episcopi Alexandrini.**

*Lib. 12. Comment. in Joan.*

**C**UM ab immanibus Judæis omnis in Christum expleta esset impietas, nec quicquam jam ad summam crudeli-

tatem reliquum esset, ad extremum Caro Christi Sanctissima proprium. quiddam, ac naturale rursus patitur. Multis enim, ac variis doloribus excicata, siti torquetur. Graves siquidem dolores magnam ad sitim commovendam vim habent, naturali quodam, & inexplicabili calore humidum consumentes, & igneis ardoribus præcordia urentes. Tu autem &c.

R. Manifestata est gratia DEI per illuminationem Salvatoris nostri JESU Christi. \* Qui destruxit mortem, illuminavit autem vitam in incorruptionem.

R. Liberavit, & vocavit nos vocatione sua sancta per gratiam, quæ data est nobis in Christo. Qui destruxit.

*Lectio VIII.*

Consummatum esse ait impietatis Judicæ modum, & impotentem sæviendi animum. Quid enim Judæi intentatum reliquerunt, aut quid non extremæ crudelitatis adhibuerunt?

Quod supplicii, aut contumeliæ genus prætermiserunt. Quamobrem jure, consummatum est, ait: sed hora jam eum ad prædicandum spiritibus, qui apud inferos erant, invitante. Avenit enim, ut mortuorum, ac vivorum dominaretur; ipsam pro nobis mortem suscipit, communem hanc naturæ nostræ passionem sustinuit in Carne sua. Tu autem &c.

V. Dignus es Domine accipere librum, & aperire signacula ejus, quoniam occisus es, & redemisti nos DEO. \* In Sanguine tuo.

V. Fecisti enim nos DEO nostro regnum, & sacerdotes. In Sanguine tuo. Gloria Patri. In Sanguine.

Lectio Sancti Evangelii secundum Matthæum.

*Lectio IX. Cap. 5.*

IN illo tempore: Dixit IESUS discipulis suis: Audistis, quia dictum est antiquis: Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum. Et reliqua.

Homilia S. Hieronymi  
Presbyteri.

Lib. 1. Comment. in Cap. 5.  
& 6. S. Matthæi.

**E**GO autem dico vobis: Diligite inimicos vestros: benefacite iis, qui oderunt vos. Multi præcepta DEI imbecillitate sua, non Sanctorum viribus æstimantes putant esse impossibilia, quæ præcepta sunt, & dicunt sufficere virtutibus non odisse inimicos: Cæterum diligere, plus præcipi, quam humana natura patiatur. Sciendum est ergo, Christum non impossibilia præcipere, sed perfecta: Quæ fecit David in Saul, & Absalon: Stephanus quoque Martyr pro inimicis lapidantibus deprecatus est: Et Paulus anathema cupit esse pro persecutoribus suis. Hæc autem JESUS, & docuit, & fecit, dicens: Pater ignosce illis, quod enim faciunt, nesciunt. Tu autem &c.

Te DEUM laudamus,  
&c.

Ad Laudes, & per Floras.

*Antiph.* Vere languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit.

*Psal.* Dominus regnavit, &c. cum cæteris, &c.

*Antiph.* Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra.

*Antiph.* Alligavit Dominus plagam Populi sui, & percussuram ejus sanavit.

*Antiph.* Omnis, qui transibit, stupebit super omnes plagas ejus.

*Antiph.* O vos omnes, qui transitis per viam, attendite, & videte, si est dolor, sicut dolor meus.

*Capitulum.* Isaia 53.

**C**Hristus vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra, cujus livore sanati sumus.

R. DEO gratias.

*Hymnus.*

**L**Ustra sex, qui jam peregit,  
Tempus implens corporis,

Sponte libera Redemptor,  
Passioni deditus,  
Agnus in Crucis levatur

Immolandus stipite.  
Felle potus ecce languet!  
Spina, clavi, lancea  
Mite corpus perforarunt,  
Unda manat, & cruor:  
Terra, pontus, astra,  
mundus,

Quo lavantur flumine.  
Crux fidelis inter omnes  
Arbor una nobilis:  
Silva talem nulla profert

Fronde, flore, germine:  
Dulce ferrum, dulce lignum,  
Dulce pondus sustinent.

Flecte ramos arbor alta,  
Tensa laxa viscera,  
Et rigor lentescat ille,  
Quem dedit nativitas;  
Et superni membra  
Regis

Tende miti stipite.  
Sola digna tu fuisti  
Ferre mundi victimam,  
Atque portum præparare

Arca mundo naufrago,  
Quam facer Cruor perunxit,  
Fensus Agni Corpore.

Sempiterna sit Beatæ  
Trinitati gloria;  
Æqua Patri, Filioque,  
Par decus Paraclito:  
Unius, Trinique nomen  
Laudet Universitas.

Amen.

℣. Videbunt, in quem  
transfixerunt.

℞. Et dolebunt super  
eum, ut in morte  
Primogeniti.

*Ad Benedictus.*

*Antiph.* Unus militum  
lancea latus ejus aperuit,  
& continuo exivit sanguis,  
& aqua.

*Oratio.*

DEUS, qui unigeniti  
Filii tui passione, &c. ut  
supra in primis Vesperis.

*Deinde fit Commemoratio  
de Feria.*

*Antiph.* Cum facis eleemosynam,  
nesciat sinistra tua,  
quid faciat dextera tua.

℣. Repleti sumus  
mane misericordia tua.

℞. Exultavimus, &  
delectati sumus.

*Oratio.*

INchoata jejunia, qua-  
sumus Domine, benigno favore  
prosequere, ut

ob-

observantiam, quam corporaliter exhibemus, mentibus etiam sinceris exercere valeamus. Per Dominum &c.

*Ad Primam.*

*Antiph.* Vere languores nostros &c.

*Reliqua dicuntur, ut in Psalterio.*

*Ad Absolutionem Capituli.*

*Lectio brevis.*

Tradidit Christus in morte animam suam, & cum sceleratis reputatus est, & ipse peccata multorum tulit, & pro transgressoribus rogavit.

R. DEO gratias.

*Ad Tertiam.*

*Antiphona.* Ipse autem.

*Capitulum.* Christus vulneratus est, ut supra, &c.

R. *Breve.* Foderunt manus meas, & pedes meos. Foderunt.

ψ. Dinumeraverunt omnia ossa mea. Et pedes. Gloria Patri. Foderunt.

ψ. O vos omnes, qui transitis per viam.

R. Attendite, & videte dolorem meum.

*Ad Sextam.*

*Antiph.* Alligavit Dominus.

*Capitulum.* *Isaia 50.*

Faciam meam non averti ab increpantibus, & conspuentibus in me, Dominus meus auxiliator meus, & ideo non sum confusus.

R. DEO gratias.

R. *Breve.* Vere languores nostros ipse tulit. Vere.

ψ. Et dolores nostros ipse portavit. Ipse tulit. Gloria Patri. Vere languores.

ψ. Disciplina pacis nostræ super eum.

R. Et livore ejus sanati sumus.

*Ad Nonam.*

*Antiph.* O vos omnes, ut supra ad Laudes, &c.

*Capitulum.* *Isaia 53.*

Tradidit Christus, &c. ut supra ad Primam.

R. DEO gratias.

R. *Breve.* Ipse vulneratus est propter iniquitates nostras. Ipse.

ψ. Attritus est propter scelera nostra: propter iniquitates nostras. Gloria Patri. Ipse vulneratus est.



ŷ. Oblatus est, quia ipse voluit.

R. Et non operuit os suum.

*Ad Vesperas.*

*Antiphonæ, Psalmi, Capitulum, Hymnus & ŷ. ut in primis Vesperis.*

*Ad Magnificat.*

*Antiph.* Ego sum vestra Redemptio: manus meæ, quæ vos fecerunt, clavis confixæ sunt: propter vos flagellis cæsus sum, spinis coronatus sum, aquam petii pendens, & acetum porre-  
xerunt; in escam meam fel dederunt, & in latus lanceam: mortuus, & sepultus resurrexi: vobiscum sum, & vivo in æternum.

*Oratio.*

DEUS, qui unigeniti Filii tui passione &c. *ut in primis Vesperis.*

*Deinde fit Commemoratio de Feria.*

*Antiph.* Tu autem, cum oraveris, intra in cubiculum tuum, & clauso ostio ora Patrem tuum.

ŷ. Dirigatur Domine oratio mea.

R. Sicut incensum in conspectu tuo.

*Oratio.*

**T**Uere Domine Populum tuum, & ab omnibus peccatis clementer emunda; quia nulla ei nocebit adversitas, si nulla ei dominetur iniquitas. Per Dominum nostrum, &c.

In Festo Sanctorum, quorum Sacræ Reliquiæ apud nos coluntur.

*Pro tota Societate JESU Duplex Majus, die pro singulis Ecclesiis dictæ Societatis assignanda arbitrio*

*R. P. Generalis ex concessione SS. D. N.*

**BENEDICTI PP. XIV.**

*Omnia de Communi plurimorum Martyrum, præter ea, quæ hic ponuntur.*

*Oratio.*

**A**uge in nobis, Domine, Resurrectionis fidem, qui in Sanctorum

tuorum Reliquiis mirabilia operaris: & fac nos immortalis gloriæ participes, cujus in eorum cineribus pignora veneramur. Per Dominum.

*In*

*In I. Nocturno.*

Fratres debitores sumus.

*In II. Nocturno.*

*Ex Tractatu S. Joannis Damasceni de Fide orthodoxa. cap. 16. l. 4.*

*Lectio IV.*

**C**Hristus Dominus Sanctorum Reliquias velut salutiferos fontes præbuit, ex quibus plurima nobis beneficia manant, suavissimumque unguentum profluit. Nec vero quisquam huic sermoni fidem detrahat, nam si aqua in deserto ex aspera & solida rupe, atque ex asini maxilla, ad sedendam Samsonis sitim, DEO ita volente, profiliit, eritne, cur cuiquam incredibile videatur, ex Martyrum Reliquiis suave unguentum scaturire? Minime certe: iis quidem, quibus DEI potentia, honorque, quo Sanctos suos afficit, perspectus, & exploratus est. Atque illud quidem veteri Lege comparatum erat, ut quisquis mortuum contigisset, im-

mundus censeretur; verum hi in mortuorum numero minime habendi sunt.

✠. Sancti tui.

*Lectio V.*

**E**X quo enim ipsamet vita, ac vitæ auctor inter mortuos adscriptus est, eos, qui in spe Resurrectionis, fideique erga eum diem extremum clausurunt, mortuos haud quaquam appellamus. Qui enim mortuum corpus, miracula edere queat? Per ea dæmones expelluntur, morbi profligantur, ægroti sanantur, cæci prospiciunt, leprosi mundantur, tentationes, ac mærores discutuntur, ac denique omne donum optimum a Patre luminum, eorum opera, ad eos, qui fide minime dubia postulant, descendit. Quid non laboris suscipias, ut Patronum quemdam nanciscaris, qui te mortali Regi offerat, ac tuo nomine ad eum verba faciat? An non igitur hi honorandi sunt, qui totius humani generis Patronos se profitentur,

ac DEO nostra causa supplicant ?

R. Verbera carnificum.

*Leſtio VI.*

**H**onorandi certe, & quidem ita, ut in eorum nomine templum DEO exſtruamus, dona offeramus, eorum memoriam colamus, atque in ea ſpiritualiter oblectemur, quo nimirum lætitia noſtra iis, a quibus invitamur, congruat, nedum eos colere, & demereri ſtudemus, offendamus potius, & iritemus. Quibus enim rebus DEUS colitur, iisdem quoque ſervi ipſius oblectantur; quibus autem DEUS offenditur, iisdem etiam

ipſius milites offenduntur. Quo circa in psalmis, & hymnis, & cantibus ſpiritualibus, & compunctione, & eorum, qui in egeſtate verſantur, commiſeratione, quibus obſequiis DEUS potiffimum conciliatur, Sanctos colamus, ſtatuas ipſis, & viſibiles imagines erigamus, imo ipſi virtutibus eorum imitandis hoc conſequamur, ut vivæ eorum ſtatuæ, atque imagines ſimus.

ŷ. Tamquam aurum.

*In III. Noſturno.*

*Homilia in Evangelium.*

Descendens JESUS de monte.

F I N I S.



T Y R N A V I Æ  
JUXTA ORIGINAL E ROMANUM,

TYPIS ACADEMICIS SOCIET. JESU,







